JANI PHILADELPHI
CONSULTATIO
DESULTORIA
DE
OPTIMA
CHRISTIANORUM
SECTA,
ET
VITIIS PONTIFICIORUM.


PRODROMUS
RELIGIONIS MEDICI.



PATAVII,

MDCLXXXVIII.

Ἡ μὲν γνῶσις φυσιοῖ, ἡ δ᾽ ἀγάπη οἰκοδομεῖ.



MONITIO AD LECTOREM.

Tenes hic libellum, Optime Lector, de Religione obiter disputantem; & ita disputantem, ut facilé inde hominis peregrini, neque adeo disciplinâ quàm voluntate Theologi ingenium perspexeris. Medicus est professione & Praxi, qui cum horis subsecivis, quas admodum raras habet, hoc, quidquid est operæ, descripserit, ignosces, spero, si nondum ultimam recepit manum, seræ ætati & delicatiori otio relictum. Atque eam ob rem instar prodromi esse voluit hunc librum, atque ostendere, quàm in illa tituli Religionem Medici promittentis novitate ab orthodoxia & reformatione,

 quàm

quàm B. Lutherus collapsis ceremoniis dogmatibusque adtulit, nòn sit alienus. Mirari autem quis posset, negotium toties & tam improbo labore à Theologis recoctum nunc quoque à Medico tractari. Sed ea est O. L. neque enim fateri pudet, prurigo animorum, ut quisque etiam aliquid ad communia illa sacra adferre posse fidenter credamus, adeo nec illius vitii immunem me esse volo. Neque tamen ideo existimo, plus me voluisse & melius facere, quod alii ejus disciplinæ Professores data operâ & cum ornatu præstitere, sed id probare conor, dum fortè alio modo & negligentius negotium hoc curo, severius aliquod & majus desiderium disputandi illa in animis nonnullorum excitari posse. Sanè Jacobus Sponius Medicus, quem paterna illa & propria in Rempublicam literariam merita Galliæ suæ servare debuerant, & ipse super religione mentem epistolà explicare non est veritus, dum in Helvetia errabat exul patriis Laribus & focis, tandem etiam inter tot tædia vivis ereptus. Jam verò

neque

neque hoc volo, Pontificiis per hæc meliorem de sacris sensum adflari, aut mitigari illud in alios sæviendi propositum, sed posse eos, qui animo fluctuant arcanorum Pontificiorum nescii, reperire hic, quod vel revocet mutandi animum, aut dubium corroboret. Pontificii autem, dum non amplius morantur examen, quod quisque secum & cum objecto instituere debet, speciosa tot annorum possessione tuti, nihil aliud agere se posse putant, quàm ut in illa sui Sectæque fiducia omnes alios damnent, &, ubi mites videri volunt, excogitatissimis modis, clam, vi, precariò, ad se pertrahant; quod quidem unum satis validum argumentum contra Sectæ hujus ingenium esse puto. Si quis interim huic libello jungat Hermanni Conringii τȣ πάνυ libellum, cui titulus, *Concussio fundamentorum fidei Pontificiæ*, & Illustris Puffendorfii *de habitu Ecclesiæ ad statum Civilem* solidam & exasciatam dissertationem, habebit sanè, quod exæquari multorum Theologorum scriptis possit, adeo uterque ille novam

vam demonſtrandi viam ingreſſi tot ſeculorum ingenia vicerunt. Quod Sectæ nomen cuique religioni adfictum in titulo videas, non ignorantia nominis in deteriorem hodiè partem inflexi, ſed libertatis quodam prætextu, & Patrum nonnullorum, jam & Romanorum, auctoritate, factum eſt. Cæterum vale O. L. & reciproco jure Philadelphum tuum ama.

CON-



CONSULTATIO DE OPTIMA CHRISTIANORUM SECTA.

Id unum ſemper datum mihi negotium putavi, ut adoleſcens viribuſque animi auctior tandem diſpicerem, num religio, vernacula illa & patria, quâ inde à teneris imbui cœpi, vera eſſet, iiſque regulis & argumentis conſtaret, quibus opus eſſe humilis quidam & pius animi ſenſus declararet. Multa, fateor, in eam rem aliter, quàm pridem, animo accidebant, ſed vario curarum æſtu impulſo tandem & uſque viſum eſt illud præcipuum, quod cum ipſâ ætate inveteratum jam inſederat, non quod partium ſtudio aut naturali quodam affectu, qui plerorumque eſt error, huc contenderem, ſed, quod ſepoſito tantiſper mei Ipſius præjudiciorumque amore, ſacrarum revelationum ingenio divinæque auctoritati, inde & piæ ſanæque rationi, convenire eam quam maxime habitâ accuratâ conſultatione deprehenderem. Atque illud mei examen

animum pridem incertum planè confirmaverat, cum denuo coorta in Galliis tempestas securum jam suique fidentem nonnihil labefactavit, & ferè, ut crederem, induxit, inepto quodam mei amore factum esse, quòd patriæ religionis placitis circumventus, Sectæ tam amplæ tamque in speciem magnificæ, fidem & obedientiam negaverim. Itaque malaciâ illa, quam animo nuper indulseram, excidens, non tam meam Sectam, in quâ plus satis videbar confirmatus, quam ipsorum illam, morosius, quàm olim factum erat, expendere, & quæ demum esset illa hominum tam duriter in alios, eosque Christianos, grassantium fiducia, deliberare constitui, idque non ordine scholastico aut sophistico dicendi genere, sed proletario quodam & humili sermone. Neque hic offendi quemquam velim, hominem peregrinum, professione Medicum, id audere, quod ad mystas tantum & tot annorum candidatos spectare videtur. Et verò salutis æternæ cura, cum omnibus promiscuè hominibus, tum maximè Medicis commendata esse debet, quòd ad augendam in Deum pietatem & in Theoriâ & in Praxi medicâ plura extent & gravissima argumenta, quæ cum ego sollicitius conquirere aliquando institui, nunc tantum gustu aliquo de Optima Christianorum Secta prælibare consultum duxi. Fuere quidem nonnulli nostrûm, qui, quod Sacrorum exercitio piæque meditationi vitæ negotia officere crederent, abdicatis iis totos se ad solitudinem, vitamque privatam con-
ver-

vertêrunt, quod nuper Stenonio & Swamerdamo aliisque accidisse novimus; verum, si rectè calculum ponimus, in omni vitæ genere, quantumvis laborioso, Dei ratio haberi & potest & omnino debet, neque tanta sint, oportet, incommoda, quæ animum Deo & sibi eripiant. Quid quod in illo etiam æstu & gurgite animorum diversimodè secum confligantium, in illâ tam catenatâ negotiorum mole, plures oriantur neque absurdæ occasiones, quibus pietas provocetur; adeo, qui ab iis tacitè se subducunt, diffidere sibi videntur & prodere animi quandam impotentiam. Est tamen, fateor, aliquod hominis sibi relicti beneficium, & esset votum hoc quoque meum, posse aliquando sic vindicari in libertatem, ut quod reliquum est vitæ, soli Deo tribuerem; at verò, si unquam, capienda nunc sunt virtutis constantiæque experimenta, & in tam procelloso curarum mari Sirenumque blandientium illecebris majorem habere sui curam oportet, quàm si quisque essemus soli, & à sollicitudinibus, quæ vitam hanc urgent, liberi: Ne dicam, ipsas illas curas magnum persæpe esse, ad preces devotas meliorisque vitæ anxiam circumspectionem, tum instrumentum, tum incentivum. At cum vana sit pietas ac inutilis, nisi verâ fide objectoque proprio & unico nitatur, in hoc cardo omnis dissidiorumque ratio vertitur, quâ maximè religionis specie conciliare nos Deo O. M. possimus; in quo ut singulæ gentes non tantum, sed & gentium populi suâ quisque fruan-

tur opinione, & ad invidiam alii alios pœnarum damnent, plerisque tamen omnibus, & ipsis Barbaris, ab omni retro memoriâ in hoc convenit, esse ἀόρατον τι, Θεῖον aliquod rerumque nostrarum conscium Numen; quod ipsum tamen cum plurimi visibile reddere voluerunt, imbecillitate carnali circumventi, aliâ atque aliâ specie, sæpe etiam, proh pudor! informi atque horrendâ expresserunt, ideamque, quam de Deo ex Naturâ habuisse poterant puram, corporeâ fictione fœdarunt. Quod vitium jam tum prospiciens ille καρδιογνώστης Deus, commiseratione adductus Ideam sui, quam teneri, & religionem, quâ coli voluit, cum certâ & delecta ad hoc gente, quæ erat Dei arcana voluntas, communicavit. Atque hinc nata illa cum Adamo, Abrahamo & Mose Pacta, tum ideæ, quam de Deo habere debeamus, tum cultus morumque formulam abunde testata; quibus cum in complementum accederent leges ceremoniales atque forenses, stetit sic aliquandiu hæc religionis species, donec Deo O. M. visum est, quod jam ante significaverat typoque expresserat, & quorsum tota illa ceremoniarum moles spectabat, re ipsâ effectum dare, Filiumque unicum, quin ipsum se ἐν ἀνθρωπίνῃ μορφῇ, quæ fuit incredibilis in miserum genus bonitas, pro universis singulorum noxis sistere verum omnibusque numeris absolutissimum propitiatorium. Hic namque, quod umbraticæ illæ prioris fœderis victimæ, neque ipsi homines, quippe quos reatus planè corruperat,

nuperat, non poterant, ſolus in ſe recepit, & ſatisfactionem pro univerſi hujus omniumque temporum peccatis, quatenus & ipſe majeſtatis illius attributorumque divinorum particeps, præſtitit, noxamque, quæ nos de ſecuritatis ſtatu deturbaverat, unus deleto & chirographo & Typo expiavit. Ex hoc nata ultima illa ſeu renovata religio, cujus prima illa Judæorum cum omni apparatu prænuncia erat atque figurativa. Hos meritò ab Auctore Chriſto, quòd & ipſe Deus ſit, Chriſtianos vocamus. Neſcio tamen, quomodo & vitio generis humani & impulſore Satana in tot iterum ſive Sectas ſeu diſciplinas ipſi invicem ſe diſcerpant & odiis plus-quam internecinis infament, excogitata alia atque alia cultus formula, qua tamen eadem omnes invidiâ ad ſecuritatem ſui utantur. In hoc autem video Chriſtianorum Sectas omnes conſenſiſſe, uti veteris fœderis per Moſen, ita novi per Meſſiam auctorem ſtatoremque eſſe Deum O. M. Namque, ut Naturâ & ſponte Numen eſſe aliquod, Ens nempe ſummè & potens & intelligens, &, ſupra quam animo complecti poſſumus, perfectum, ex facili quiſque intelligat, nihil tamen erat, niſi & Majeſtatis ſuæ qualemcumque Ideam & cultus obſequiique formulam certis revelationum monumentis ipſe prodidiſſet; quod cum libris iis, quos ſacros vocamus, factum eſſe credimus, meritò eos velut pignus quoddam & cœli depoſitum veneramur; ſunt namque ibi omnia, ſi cum aliis aliarum gentium ſacris conferantur,

tur, adeo spectatæ fidei, ut pudori nuncium misisse videri possint, qui conculcatâ illa auctoritate aut ineptarum gentium placitis aut suis ipsorum fictionibus adhæserint. At verò illi Revelationum libri, quamvis pari loco & dignatione ab omnibus habeantur Sectis, variam tamen vitio hominum admittunt explicationem omniumque defensioni promiscuè serviunt; neque hæc tam periculosa libertas heri aut nudius tertius nata, sed jam tum statim cum Apostolis, testibus illis delectis & omni exceptione majoribus, deficiente nimirum in plurimis Spiritus Sancti immediato influxu, multumque jam sibi potestatis asserente Satanâ, illo ἀνυποδίκω; quo minus mirandum sit tot hæresibus atque apostasiis inundatum esse, quem hodie tenemus, Christianismum. Quisquis autem ad religionis hujus noscenda arcana veramque interpretationem animum applicat suum, & conversis ad Deum precibus testatâque cordis humilitate, sepositis partium præjudiciorumque studiis Sacrorum ingreditur examen, pieque secum & sæpe, neque enim horulæ illa res est, consultat; fieri vix potest, ut non necessaria ab indifferentibus, plana ab æquivocis, vulgata a mysteriis, clara ab obscuris humanoque ingenio majoribus curiosè discernat, novique fœderis œconomiam & rationem penitius, & quantum parandæ æternitati satis est, cognoscat. Certè, si totum considero religionis negotium, non minus in illo, quàm in aliis quibusque fieri solet, rem omnem non piâ humilitate, non

zelo,

zelo, quo oportebat, ſed odio partium, ſed ſui & præjudiciorum amore confici deprehendo. Quid enim, ſi charitas, illa unicum hominis Chriſtiani ornamentum, omnes ad interpretandum ſacra invitaret, an non utique multa officiosè toleraremus, levia illa & ad ſalutem nihil pertinentia; annon anathema, illud terriculamentum animarum, non niſi ſerò & in re ſeriâ & putatâ bene ratione, imputaremus? Equidem nimium ſibi indulſere Patres Concilii Tridentini, quando inaudito exemplo rebus frivolis jam & indifferentibus, obelum iſtum feralem ſubjecêre. Et cum ille decernendi modus humilitatem elevet Chriſtianam, non alio quidem argumento opus erat ad probandum, Concilium iſtud, & in eo Eccleſiam Romanam, non Dei proximive amore, ſed ſuæ auctoritatis extollendæ cauſâ, in tam graves conſenſiſſe atque internecinas ſimultates. Anathema autem illud, annon ſolutio eſt vinculi charitatis, annon ſeparatio membri eccleſiaſtici, adeoque mortis inſtar civilis? & vero in ſpiritualibus odiſſe fratrem commercioque omni prohibere, tantumdem eſt atque occidere, non immerito in recenſum quinti præcepti venientibus, quas alter alteri inferimus, injuriis. Quando autem omnis diſputatio ad interpretandi redeat licentiam, & alii ſuo, alii alieno nitantur ſupercilio, diſpiciendem eſt liberè, ubi ſimpliciter credendi, ubi ratiocinandi, ubi interpretandi ſacra eſt locus, quod ipſum haud facilè aliâ viâ melius fieri poſſe intelligo, quam ſi in

ſuas quæque claſſes, adiaphora à neceſſariis, eſſentialia ab accidentalibus, myſteria à vulgatis, maturo judicio diſtinxeris, memor ſemper illius Apoſtolici, ἡ μὲν γνῶσις φυσιοῖ, ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ. Charitas autem ſemper & uſque anima eſſe interpretationis debet, ita enim demum Dei honori & Proximi utilitati conſulitur; neque citius alium ad tui animi ſenſum perducas, quam ſi conatum ab amore profectum eſſe commonſtres. De neceſſariis ergo eſſentialibuſque ſic ſentio, eſſe ea vel occulta aut manifeſta. Occulta ſunt, quæ alias etiam myſteria vocantur, de quibus, quod de Germanorum gentilium pietate Tacitus ait, *ſanctius viſum eſt atque reverentius credere, quàm ſcire*, quæque ingenii luſum non admittant, ſimplici fidei piæque credulitati relicta. Illa autem explicationibus vexare velle & loquendi figuris tam periculoſum eſt quam profanum. Certe enim, quæ in experimentum fidei piæque humilitatis propoſuit Deus, intellectu rimari finito planè & caliginoſo, nil aliud eſt, quàm inopem laceramque ſcientiam æterni divinique Numinis potentiæ ſuperbo conatu exæquare, & humanos ſenſus, velut conſcios & teſtes divinarum rerum, laudare. Quando ergo de neceſſariis ſermo eſt & ſimul myſteriis, quæ ſanè plurima complectitur religio Chriſtiana (non ἄλογα illa, qualia & Talmudis & Sybillarum & Brachmanum & Muhammedis iſta, ex ineptâ quadâm credulitate & perſuaſione majorum nata) compeſcendi ſunt laſcivientis animi impetus, nec

nec temere rejiciendum, quod divina auctoritas, conscientiæ humilis testimonium & inde nata fidei πληροφορία arcana inter & tamen necessaria reputaverit. In indifferentibus autem & accidentalibus, quorum tamen plura inter necessaria retulit Pontificia secta, interpretem adhibere moroseque omnia excutere supervacuum est & libertate Christianâ indignum; cum hoc ipso indifferentia sint, quod pro loci, temporis, personæque conditione aliam identidem formam recipiant, neque ideo vel religionis præcipua aut cultus speciem evertant. Adeoque pœnitenda est Scholasticorum audacia, qui cum in pingui illo, quo gaudebant, otio, terminis quibusdam ideisque longè remotissimis Numinis religionisque arcana venati essent, imperiosâ auctoritate illos sic subtiliter conceptos terminos orbi Christiano, velut necessarios ad salutem æternam, obtrudere, amoremque proximi & fidei integritatem, unica salutis instrumenta, infringere non dubitarunt. Sanè enim, cum termini notiones aut ideas explicent, quas quisque de rebus habemus, promtum est nec similes ideas Philosophos, nec ullas de re tam subtili humanoque ingenio majore habere vulgum potuisse; & cum simplicitas, puerilis illa, & humilis ἀκακία in Sacris passim commendentur, temperare illam ambitionem satius est, quàm Icarios temere imitando volatus, ubi cœlum sperabamus, mutatâ semitâ ad Tartara devolvi. Neque tamen ab ipsa hac explicandi

prurigine immunes se præstare potuerunt primorum seculorum Patres, quippe qui, ubi de Mysteriis sermo instituitur, non simplici semper fide aut humilitate, sed multijugæ eruditionis apparatu instructi, & à se ipsi & ab aliis in diversa abeunt, ingenioque ad invidiam fruuntur. Jam & illi sequioris ævi antesignani Pontificiorumque genii tutelares, Augustinus & Hieronymus, uterque vel Philosophiæ studio nimio, aut mutua æmulatione corrupti non vera semper neque pura docent, neque necessaria satis ab adiaphoris distinguunt; quod vel inde manifestum esse puto, quod omnium partium studiis perinde faveant, & singulæ ferè sectæ aliquid sibi profuturum ex iis deligant. Duplex autem Philosophiæ genus, si affectus & cathedrarium disputandi ardorem vitiaque singulis propria seponas, prioris ævi Patres potissimum depravasse videtur, & hoc egisse, ut pro principiorum notionumque diversitate, invicem in se insurrexerint & diversa docuerint. Platonici certè phantasiæ ingeniique evagantis viribus religionum sanctimoniæ fideique testimonio multum detraxere, certa venantes, & mathematicis demonstrationibus, jam verò & abstractis nudisque ideis, propiora. Adeo ex hac Schola plurimi Clementis Alexandrini, Origenæ & Tertulliani, jam & Augustini, errores profluxere. Nempe fieri non poterat, ut non ab illa Philosophia, quam quisque juvenis didicerat, aliquid traheret contagii, atque inde ad Divini Numinis arcanorumque ejus explicationem

con-

conceptum olim errorem transferret: est namque hic præjudiciorum inolitarumque sive à teneris seu consuetudine idearum ratio, ut emendationem quidem admittant, non tamen facilè in totum evellantur. Aristotelis Philosophia & ipsa vanâ notionum terminorumque compilatione sacrorum interpretationi plurimum offecit, quæ tamen ipsa nunc Philosophiæ Scholasticæ accessione uberior ad invidiam usque Christianismi arcana in omnem partem tuetur, ut mirandum sit, non à Barbaris tantum, sed & inficetis Theologastris, iisque superstitiosè Pontificiis, omnem disputandi formulam Christianos inter hactenus dimanasse. Quod si autem Theologi in exigendis Philosophorum subtilitatibus tenuissent modum, neque vera rerum aut abstrusa speciosis terminorum fictionibus obscurassent, multò sanè nunc tolerabilius se res Christianæ haberent, neque timendum erat, in tot Sectas abiturum fuisse mortale genus. Ut autem ex Philosophiæ principiis aliena sæpe & contraria senserint Divi Patres, non tamen ea tanti visa sunt, ut anathema sibi invicem, diras & tristia quæque, imprecarentur; libera enim in indifferentibus quærebant arbitria, & in abstrusis etiam ingenii aliquos lusus, modò ne Majestati detraherent divinæ aut amorem sui involverent. Quò appareat longè nunc & à piâ ratione & primævorum Patrum moribus abesse Pontificios, qui ob leviculos dissensus &, si placet, errores, fidei Christianæ elevant harmoniam, mutuoque amori, unico omnium

prurigine immunes se præstare potuerunt primorum seculorum Patres, quippe qui, ubi de Mysteriis sermo instituitur, non simplici semper fide aut humilitate, sed multijugæ eruditionis apparatu instructi, & à se ipsi & ab aliis in diversa abeunt, ingenioque ad invidiam fruuntur. Jam & illi sequioris ævi antesignani Pontificiorumque genii nutritores, Augustinus & Hieronymus, uterque vel Philosophiæ studio nimio, aut mutua æmulatione corrupti non vera semper neque pura docent, neque necessaria [illegible] distinguunt; quod vel inde manifestum esse puto, quod omnium partium studiis permixte fuerunt, & singulæ ferè sectæ aliquid sibi [illegible]. Duplex autem Philosophiæ genus [illegible] & cathedra[illegible] propria [illegible]

[illegible]

...eptum olim errorem transferret: est namque præjudiciorum inolitarumque sive à teneris consuetudine idearum ratio, ut emendationem ... admittant, non tamen facilè in totum e... ...tur. Aristotelis Philosophia & ipsa vanâ no... terminorumque compilatione sacrorum ... interpretationi plurimum offecit, quæ tamen ipsa nunc Philosophiæ Scholasticæ accessione uberior ad invidiam usque Christianismi arcana in omnem partem tuetur, ut mirandum sit, non à Barbaris tantum, sed & inficetis Theologastris, iisque superstitiosè Pontificiis, omnem disputandi formulam Christianos inter hactenus dimanasse. Quod si autem Theolog... in exigendis Philosophorum subtilitatibus tenu... ...ent modum, neque vera rerum aut abstrusa spe... ...ciosis terminorum fictionibus obscurassent, multò ... sanè nunc tolerabilius se res ... ...æ haberent, neque timendum erat, in tot ... turum fuisse mortale genus. Ut autem ...ophiæ principiis aliena sæpe & contraria ... Divi Patres, non tamen ea tanti visa sunt, ... diras & tristia quæque, ... sibi ... in indifferentibus quæ... ...strusis etiam ingenii ali... ...jestati detraherent divinæ ...nt. Quò appareat longè ... & primævorum Patrum ... qui ob leviculos dis... ...ios, fidei Christianæ e... ...res, ...oque amori, unico omnium

mnium vinculo, renunciant. Mihi autem religio ſine ſucco & ſanguine videtur, ſi charitas deficit, illa cæterarum virtutum ornatrix, quæ nos invicem, & capiti noſtro, Chriſto, cujus quiſque membra eſſe volumus, obligare debet. Sanè abſque illâ ſit, friget univerſum religionis negotium, & quamvis ſubtiliſſimis cogitationibus animus ſit adflatus & ubique ὕψος ſectetur philoſophicum ad Chriſtianam tamen ſocietatem, ut nullà admodum ſine amore conſtare poteſt, minus eſt idoneus; adeoque Pontificii, quando nec charitate illa animâ religionum, nec fide rationali cultui innixâ, probare placita ſua poſſunt, indignos ſeſe præſtant glorioſo illo nomine, quod prærogativâ aliquâ ſibi deberi contendunt. Cujus rei cum non vana argumenta habere me putem, quamvis in omnium ſint oculis, paulò tamen accuratius ea expendere, ut puto, licebit, nullo quidem ordine, ſed ita, ut in mentem veniunt & calamo ſubrepunt. Exigant autem mecum primum, quâm piæ humilique rationi, quàm ſacrorum Oeconomiæ, quàm primævæ Eccleſiæ contrarium ſit, & ſpeciem meriti habeat, nunc in ſua ipſorum, nunc aliorum corpora deſævire, hoc eſt, pænas animo debitas in partem non meritam derivare. Animus eſt in officio continendus, ille ſeculo, ille deſideriis, & voluptatibus extrahendus, ille ſibi & conſcio Deo vindicandus. Turpis & ridicula res eſt, corporis tormentis, iiſque voluntariè adſcitis, in ſui ſatiſfactionem uti, divellere machinam corpoream, &

pro-

proprio consilio antevertere tot pænarum genera, tot suppliciorum diritates, quæ invitis alias etiam εἰς ὄλεθρον τῆς σάρκος immittere divina manus solet. Sunt animi corporisque morbi, sunt curæ & sollicitudines, quibus veluti compedibus vincti miseram trahere vitam cogimur, idque eo fine, ut animus præsentium satur ad supera & futura sese adjiciat, & obnoxii corporis servitio non invitus exeat. Qui animi libertatem per voluntarias pænas corpori irrogatas quærunt, haud dubiè quoque illa libertate excidunt, dum dolorum sensus, quod reliquum est bonæ mentis facilè eripit. Ideoque viles mihi videntur & abjecti, imo, ut propitiè dicam, stultè pii, qui, cum animo sese efferre vel non audent aut nolunt, efficiunt, ut in cutim corporisque molem animi erumpat intemperies. Sanè Christi honori malè consulere videntur, qui sanguine litare suo, velut in supplementum, non dubitant, ac si generis humani noxis expiandis non sufficerent, quas in vitâ, in cruce sustinuit ærumnas humanâ patientiâ majores. Quod si tamen illa corporis tortura tanti est, ut cœlum mereri posse videatur, in ipsis Paganis multo atrociora invenias exempla. Baalitarum olim Sacrificuli, advocatis in meritum membrorum corruptelis, commendare se idolis suis nihil pensi habebant, & est hodieque Brachmanum Indorum religione sanctius nihil atque ad demerendum cœlum efficacius, quàm corporis illam formam commolendam bigarum rotis submittere, & ani-

mnium vinculo, renunciant. Mihi autem religio ſine ſucco & ſanguine videtur, ſi charitas deficit, illa cæterarum virtutum ornatrix, quæ nos invicem, & capiti noſtro, Chriſto, cujus quiſque membra eſſe volumus, obligare debet. Sanè abſque illâ ſit, friget univerſum religionis negotium, & quamvis ſubtiliſſimis cogitationibus animus ſit adflatus & ubique ὕψος ſectetur philoſophicum ad Chriſtianam tamen ſocietatem, ut nullà admodum ſine amore conſtare poteſt, minus eſt idoneus; adeoque Pontificii, quando nec charitate illa animâ religionum, nec fide rationali cultui innixâ, probare placita ſua poſſunt, indignos ſeſe præſtant glorioſo illo nomine, quod prærogativâ aliquâ ſibi deberi contendunt. Cujus rei cum non vana argumenta habere me putem, quamvis in omnium ſint oculis, paulò tamen accuratius ea expendere, ut puto, licebit, nullo quidem ordine, ſed ita, ut in mentem veniunt & calamo ſubrepunt. Exigant autem mecum primum, quâm piæ humilique rationi, quàm ſacrorum Oeconomiæ, quàm primævæ Eccleſiæ contrarium ſit, & ſpeciem meriti habeat, nunc in ſua ipſorum, nunc aliorum corpora deſævire, hoc eſt, pœnas animo debitas in partem non meritam derivare. Animus eſt in officio continendus, ille ſeculo, ille deſideriis, & voluptatibus extrahendus, ille ſibi & conſcio Deo vindicandus. Turpis & ridicula res eſt, corporis tormentis, iiſque voluntariè adſcitis, in ſui ſatiſfactionem uti, divellere machinam corpoream, &

pro-

proprio conſilio antevertere tot pænarum genera, tot ſuppliciorum diritates, quæ invitis alias etiam εἰς ὄλεθρον τῆς σάρκος immittere divina manus ſolet. Sunt animi corporiſque morbi, ſunt curæ & ſollicitudines, quibus veluti compedibus vincti miſeram trahere vitam cogimur, idque eo fine, ut animus præſentium ſatur ad ſupera & futura ſeſe adjiciat, & obnoxii corporis ſervitio non invitus exeat. Qui animi libertatem per voluntarias pænas corpori irrogatas quærunt, haud dubiè quoque illa libertate excidunt, dum dolorum ſenſus, quod reliquum eſt bonæ mentis facilè eripit. Ideoque viles mihi videntur & abjecti, imo, ut propitiè dicam, ſtultè pii, qui, cum animo ſeſe efferre vel non audent aut nolunt, efficiunt, ut in cutim corporiſque molem animi erumpat intemperies. Sanè Chriſti honori malè conſulere videntur, qui ſanguine litare ſuo, velut in ſupplementum, non dubitant, ac ſi generis humani noxis expiandis non ſufficerent, quas in vitâ, in cruce ſuſtinuit ærumnas humanâ patientiâ majores. Quod ſi tamen illa corporis tortura tanti eſt, ut cœlum mereri poſſe videatur, in ipſis Paganis multo atrociora invenias exempla. Baalitarum olim Sacrificuli, advocatis in meritum membrorum corruptelis, commendare ſe idolis ſuis nihil penſi habebant, & eſt hodieque Brachmanum Indorum religione ſanctius nihil atque ad demerendum cœlum efficacius, quàm corporis illam formam commolendam bigarum rotis ſubmittere,

& ani-

ſuas quæque claſſes, adiaphora à neceſſariis, eſſentialia ab accidentalibus, myſteria à vulgatis, maturo judicio diſtinxeris, memor ſemper illius Apoſtolici, ἡ μὲν γνῶσις φυσιοῖ, ἡ δ' ἀγάπη οἰκοδομεῖ. Charitas autem ſemper & uſque anima eſſe interpretationis debet, ita enim demum Dei honori & Proximi utilitati conſulitur; neque citius alium ad tui animi ſenſum perducas, quam ſi conatum ab amore profectum eſſe commonſtres. De neceſſariis ergo eſſentialibuſque ſic ſentio, eſſe ea vel occulta aut manifeſta. Occulta ſunt, quæ alias etiam myſteria vocantur, de quibus, quod de Germanorum gentilium pietate Tacitus ait, *ſanctius viſum eſt atque reverentius credere, quàm ſcire*, quæque ingenii luſum non admittant, ſimplici fidei piæque credulitati relicta. Illa autem explicationibus vexare velle & loquendi figuris tam periculoſum eſt quam profanum. Certe enim, quæ in experimentum fidei piæque humilitatis propoſuit Deus, intellectu rimari finito planè & caliginoſo, nil aliud eſt, quàm inopem laceramque ſcientiam æterni divinique Numinis potentiæ ſuperbo conatu exæquare, & humanos ſenſus, velut conſcios & teſtes divinarum rerum, laudare. Quando ergo de neceſſariis ſermo eſt & ſimul myſteriis, quæ ſanè plurima complectitur religio Chriſtiana (non ἄλογα illa, qualia & Talmudis & Sybillarum & Brachmanum & Muhammedis iſta, ex ineptâ quadâm credulitate & perſuaſione majorum nata) compeſcendi ſunt laſcivientis animi impetus, nec

nec temere rejiciendum, quod divina auctoritas, conſcientiæ humilis teſtimonium & inde nata fidei πληροφορία arcana inter & tamen neceſſaria reputaverit. In indifferentibus autem & accidentalibus, quorum tamen plura inter neceſſaria retulit Pontificia ſecta, interpretem adhibere moroſeque omnia excutere ſupervacuum eſt & libertate Chriſtianâ indignum; cum hoc ipſo indifferentia ſint, quod pro loci, temporis, perſonæque conditione aliam identidem formam recipiant, neque ideo vel religionis præcipua aut cultus ſpeciem evertant. Adeoque pœnitenda eſt Scholaſticorum audacia, qui cum in pingui illo, quo gaudebant, otio, terminis quibuſdam ideiſque longè remotiſſimis Numinis religioniſque arcana venati eſſent, imperioſâ auctoritate illos ſic ſubtiliter conceptos terminos orbi Chriſtiano, velut neceſſarios ad ſalutem æternam, obtrudere, amoremque proximi & fidei integritatem, unica ſalutis inſtrumenta, infringere non dubitarunt. Sanè enim, cum termini notiones aut ideas explicent, quas quiſque de rebus habemus, promtum eſt nec ſimiles ideas Philoſophos, nec ullas de re tam ſubtili humanoque ingenio majore habere vulgum potuiſſe; & cum ſimplicitas, puerilis illa, & humilis ἀκακία in Sacris paſſim commendentur, temperare illam ambitionem ſatius eſt, quàm Icarios temere imitando volatus, ubi cœlum ſperabamus, mutatâ ſemitâ ad Tartara devolvi. Neque tamen ab ipſa hac explicandi

prurigine immunes se præstare potuerunt primorum seculorum Patres, quippe qui, ubi de Mysteriis sermo instituitur, non simplici semper fide aut humilitate, sed multijugæ eruditionis apparatu instructi, & à se ipsi & ab aliis in diversa abeunt, ingenioque ad invidiam fruuntur. Jam & illi sequioris ævi antesignani Pontificiorumque genii tutelares, Augustinus & Hieronymus, uterque vel Philosophiæ studio nimio, aut mutua æmulatione corrupti non vera semper neque pura docent, neque necessaria satis ab adiaphoris distinguunt; quod vel inde manifestum esse puto, quod omnium partium studiis perinde faveant, & singulæ ferè sectæ aliquid sibi profuturum ex iis deligant. Duplex autem Philosophiæ genus, si affectus & cathedrarium disputandi ardorem vitiaque singulis propria seponas, prioris ævi Patres potissimum depravasse videtur, & hoc egisse, ut pro principiorum notionumque diversitate, invicem in se insurrexerint & diversa docuerint. Platonici certè phantasiæ ingeniique evagantis viribus religionum sanctimoniæ fideique testimonio multum detraxere, certa venantes, & mathematicis demonstrationibus, jam verò & abstractis nudisque ideis, propiora. *Adeo* ex hac Schola plurimi Clementis Alexandrini, Origenæ & Tertulliani, jam & Augustini, errores profluxere. Nempe fieri non poterat, ut non ab illa Philosophia, quam quisque juvenis didicerat, aliquid traheret contagii, atque indè ad Divini Numinis arcanorumque ejus explicationem

con-

conceptum olim errorem transferret: est namque hic præjudiciorum inolitarumque sive à teneris seu consuetudine idearum ratio, ut emendationem quidem admittant, non tamen facilè in totum evellantur. Aristotelis Philosophia & ipsa vanâ notionum terminorumque compilatione sacrorum interpretationi plurimum offecit, quæ tamen ipsa nunc Philosophiæ Scholasticæ accessione uberior ad invidiam usque Christianismi arcana in omnem partem tuetur, ut mirandum sit, non à Barbaris tantum, sed & inficetis Theologastris, iisque superstitiosè Pontificiis, omnem disputandi formulam Christianos inter hactenus dimanasse. Quod si autem Theologi in exigendis Philosophorum subtilitatibus tenuissent modum, neque vera rerum aut abstrusa speciosis terminorum fictionibus obscurassent, multò sanè nunc tolerabilius se res Christianæ haberent, neque timendum erat, in tot Sectas abiturum fuisse mortale genus. Ut autem ex Philosophiæ principiis aliena sæpe & contraria senserint Divi Patres, non tamen ea tanti visa sunt, ut anathema sibi invicem, diras & tristia quæque, imprecarentur; libera enim in indifferentibus quærebant arbitria, & in abstrusis etiam ingenii aliquos lusus, modò ne Majestati detraherent divinæ aut amorem sui involverent. Quò appareat longè nunc & à piâ ratione & primævorum Patrum moribus abesse Pontificios, qui ob leviculos dissensus &, si placet, errores, fidei Christianæ elevant harmoniam, mutuoque amori, unico omnium

mnium vinculo, renunciant. Mihi autem religio ſine ſucco & ſanguine videtur, ſi charitas deficit, *illa* cæterarum virtutum ornatrix, quæ nos invicem, & capiti noſtro, Chriſto, cujus quiſque membra eſſe volumus, obligare debet. Sanè abſque illâ ſit, friget univerſum religionis negotium, & quamvis ſubtiliſſimis cogitationibus animus ſit adflatus & ubique ὕψος ſectetur philoſophicum ad Chriſtianam tamen ſocietatem, ut nullà admodum ſine amore conſtare poteſt, minus eſt idoneus; adeoque Pontificii, quando nec charitate illa animâ religionum, nec fide rationali cultui innixâ, probare placita ſua poſſunt, indignos ſeſe præſtant glorioſo illo nomine, quod prærogativâ aliquâ ſibi deberi contendunt. Cujus rei cum non vana argumenta habere me putem, quamvis in omnium ſint oculis, paulò tamen accuratius ea expendere, ut puto, licebit, nullo quidem ordine, ſed ita, ut in mentem veniunt & calamo ſubrepunt. Exigant autem mecum primum, quâm piæ humilique rationi, quàm ſacrorum Oeconomiæ, quàm primævæ Eccleſiæ contrarium ſit, & ſpeciem meriti habeat, nunc in ſua ipſorum, nunc aliorum corpora deſævire, hoc eſt, pænas animo debitas *in* partem non meritam derivare. Animus eſt in officio continendus, ille ſeculo, ille deſideriis, & voluptatibus extrahendus, ille ſibi & conſcio Deo vindicandus. Turpis & ridicula res eſt, corporis tormentis, iiſque voluntariè adſcitis, in ſui ſatiſfactionem uti, divellere machinam corpoream, &

pro-

proprio consilio antevertere tot pænarum genera, tot suppliciorum diritates, quæ invitis alias etiam εἰς ὄλεθρον τῆς σάρκος immittere divina manus solet. Sunt animi corporisque morbi, sunt curæ & sollicitudines, quibus veluti compedibus vincti miseram trahere vitam cogimur, idque eo fine, ut animus præsentium satur ad supera & futura sese adjiciat, & obnoxii corporis servitio non invitus exeat. Qui animi libertatem per voluntarias pænas corpori irrogatas quærunt, haud dubiè quoque illa libertate excidunt, dum dolorum sensus, quod reliquum est bonæ mentis facilè eripit. Ideoque viles mihi videntur & abjecti, imo, ut propitiè dicam, stultè pii, qui, cum animo sese efferre vel non audent aut nolunt, efficiunt, ut in cutim corporisque molem animi erumpat intemperies. Sanè Christi honori malè consulere videntur, qui sanguine litare suo, velut in supplementum, non dubitant, ac si generis humani noxis expiandis non sufficerent, quas in vitâ, in cruce sustinuit ærumnas humanâ patientiâ majores. Quod si tamen illa corporis tortura tanti est, ut cœlum mereri posse videatur, in ipsis Paganis multo atrociora invenias exempla. Baalitarum olim Sacrificuli, advocatis in meritum membrorum corruptelis, commendare se idolis suis nihil pensi habebant, & est hodieque Brachmanum Indorum religione sanctius nihil atque ad demerendum cœlum efficacius, quàm corporis illam formam commolendam bigarum rotis submittere,

& ani-

& animam in illâ dolorum sævitia non tam reddere, quàm expellere. At sæviant, ut volunt, in corpora ipsi sua, qui hoc sibi datum juris esse putant; sed nescio, an eadem in alios bacchandi licentia sit. Probet hoc contemtum sui & amorem Dei, ut cujus causâ tam crudeliter se exerceant; at nihil injustius, quàm ut animos nobis obligemus, corpora tormentis tradere. Ego autem si quid in animum nostrum violentia potest, superandum eum existimo, non corporeis, sed spiritualibus telis, pio zelo proximique amore præparatis. Est Religio conceptus de Deo ejusque cultu animi sensus, quam, ut est homo animal rationale, argumenta & sillogysmi formare debent; non metus aut intentata corpori violentia. Quod si autem per fidiculas & equuleos alia corporis tormenta elici animi sensum posse Pontificii credunt, nimis jam est, quod tam diu Logicæ Ethicæque, velut rationis morumque magistris, operam impenderint suam. Oris quidem Confessionem, qui corporeus est mechanicusque assentientis motus, exprimere violentia potest, internum animi sensum, nisi jam ante secum conveniat, non potest. Et verò tandem per cruciatus extorta oris *confessio dubia* esse potest, & talis, ut quovis *silentio* sit periculosior; si enim alia sit confessio, quàm internus animi sensus, hypocrisis crimen in propatulo est. Quis verò securos nos esse jubeat, non plerosque omnes aliud clausum pectore, aliud promtum linguâ habere; quod ob varias rationes

fieri

fieri posse mihi quidem persuadeo; plurimos enim reperias qui doloribus & secularium rerum jacturâ victi, cuivis promiscue quæstioni, etiam contra animi sententiam, assentiantur, &, ne color deesse videatur, putent, dum cogitationis pœnam nemo hic patitur, reservari illam unicè Deo cor adeoque cogitantis ad Deum, confitentis linguam ad homines spectare; quod adeo in Judæis tralatitium est in Hispaniâ atque Lusitaniâ, ut cultus quidem externi specie, etiam confessione publicâ, Pontificiam probent religionem, interna autem fide animoque patriis veterisque fœderis ceremoniis constantissimè adhærescant, quod tum domi, tum foris in alias regiones delati luculentè testari solent. Verum & aliud ex hac hypocrisi natum vitium, subtilius quidem priore illo, sed tamen æquè detestandum; nam dum existimant nonnulli animæ saluti officere ἄψυχον esse, & aliud linguâ, aliud mente testari, eò adacti sunt, ut crederent, dum omnes ferè Sectæ in Christianum nomen atque fidem consentiant, affinitate quâdam conjunctæ, non detrahere Dei honori, si in hanc vel illam transeant, modò Christum agnoscat auctorem & ad ejus dogmata mores vitamque Sectariorum componat, neque jam interesse, quâ formulâ quis utatur, dummodo ad necessaria atque essentialia religionum animum adijciat. Atque hoc delinimento multi mutatæ Sectæ causas obduxere. Jam verò; quæ illa adeo est gloria, ut propositum sequar, plurimos etiam mortales a-

mo-

morum, honoris, avaritiæ, bonorumque secularium lenocinio in partes suas pertrahere aut corporis adigere contumeliis. Sane bonorum secularium amor ita nonnullos occœcavit, ut quidvis malint, quàm illud amittere, cujus consuetudo tam grata est; & cum præsentium visibiliumque majus semper apud homines fuerit pretium, quam futurorum, & eorum, quæ non videntur, ut quorum exspectatio adhuc dum lubrica illis videtur, mirum non est ad præsentia tantum & corporalia respicere plerosque posthabito futurorum studio. Ad hæc etiam malorum urgentium facies tantum non ad quævis fatenda impellere hominem potest sui magis corporis quâm animi aut Dei studiosum. Certe enim Idea rerum, quibus corpus excarnificandum traditur, etiam pios homines à verâ meditatione abducere & ad ea agnoscendum cogere potest, ad quæ sibi relicti non descenderent. Præsentium tædio facilè Dei, facilè etiam nostrî obliviscimur, & ore fatemur, cujus animum pudeat. Adeo etiam non inepte aliquis, cum religionem mutare juberetur exemplo eorum, qui ad Principis nutum & mandati pænalis evulgationem, tandem etiam ad minas in sinum, si illo remedio insultare animis *liceret*, jam nullam esse moram quin universum genus humanum, non ad illam tantum sed quamvis aliam, Paganorum etiam & Turcarum Sectam, & si quid illis tristius, compelli pænarum diritate possit: cum enim sponte etiam suâ, solâ honoris præmiorumque spe adducti, quos Renegados

voca-

vocamus, ex omni fere gente in Musulmannorum transeant castra, quid non doloris & miseriarum objectu & bonorum temporalium jacturâ extortum iri credas, ubi non ad gentilium, sed Christianorum quoque sectam, eamque affinitatis specie simulatâque principiorum paritate illudentem transitus quæritur? Egregium verò & Christianorum nomine dignum inventum, quod per pia atque honesta media non licuit, per Dracones, horridissimum militum genus, velut novos Ecclesiæ missionarios & pulcherrimos fidei atque morum reformatores, effectum dare. De nihilo est, qui collegio de propagandâ fide Romæ impenditur labor, dum sint, qui cum telo & armati animos sibi formandos sumsere. Fingant juventutem Orbilii ferulæ, & ad magna componant; at dracones sunt, qui velut novo divinitatis sidere adflati, & in conscientiam arcanorum cæli missi, viam docent veritatis, & quâ iter ad cælestia sit æternaque. Isti autem homines, ut semper alias, torquendis mortalibus nati, nunc veluti genii tutelares, actus moresque hominum observant, & armato disputandi genere vel patientiæ ultimam vim aut novam confitendi imponunt rationem. Mitiores tamen hoc sibi videntur nuperi reformatores, reperta novâ hâc convertendi formulâ, & nec Ferdinandum Catholicum nec Philippum Secundum, nec Sabaudiæ olim Duces, patriarum alias ceremoniarum vindices acerrimos, scivisse, quæ esset ad conversionem animarum compendia-

 ria;

ria; illum enim dato libero commeatu & Mauris & Judæis orbitatem omnium rerum, tum maximè populorum, regnis suis intulisse; istum crudeli nimis & sanguinario ausu, tot procuratis cædibus, & Catholici & Regis, nomen infamâsse; hos vero etiam laniehis tributarios Waldenses non tam mutasse in melius, quàm exhausisse; adeo unum nunc esse Regem, qui in novam convertendi formulam prolapsus, & omnes antecedentes & sui ævi Principes superaverit. Mira ergo & ætateni laudanda lenitas, non morte, quâ tantum non nihil agi videtur, sed multatione corporis, bonorum, honoris, plagio infantum, contubernio draconum, quibus quidvis in corpora & animas licet, invitos ad confitendum, quæ non sentiant, adigere. Majus verò quiddam & divinitatis conscientiæ affinius, diem dicere, intra quam animus inflecti ad meliorem sensum debeat, & citare Spiritum Sanctum, cujus sanè est hoc beneficium, in vadimonium. Utrum ergo conscientiarum arbitrium, quod soli Deo relictum videtur, homines sibi vindicabunt, iique, si mores spectes, nullâ prærogativâ insignes, forte etiam in illo honorum & gloriæ fastigio vitæ liberioris indulgentiâ à beatitudine æternâ longius remoti, quàm quique alii. Barbari olim Americani, cum à Sacerdotibus militibusque Hispanis, repentinis cædium magistris, aurum diripi, templis sacrilegia, hominibus paulò contumacioribus lanienas inferri viderent, quidvis experiri satius duxerunt, quàm ad illam
Se-

Sectam transire, quæ tanto sævitiæ documento in animas hominum grassaretur; adeo si Deus esset, quo auctore hæc fierent, non humanum illum amplius aut benignum esse, sed tristem & sanguinarium, & Cyclopum de gente Poliyphemum, qui visceribus miserorum atroque pascatur cruore. Atque hinc Bartolomeus de las Casas & ipse Hispanus infulatique ordinis præcipuus antistes, non facilè crimen majus commisisse gentem suam existimat, quam editis tam horrendis in simplicem Barbaramque gentem crudelitatis exemplis, & esse unum hoc, quod etiamnum excidium Hispanis terrisque vicinis minetur. In Belgio autem tantum abest, ut post excarnificata octodecim mille corpora in castra sua transire reliquos adegerint, ut potius infinitis modis horribilioris Sectæ imaginem sibi finxerint, & emancipato conscientiarum jugo in libertatem se asseruerint hodieque fortiter tueantur. Itaque Galli videntes crescere contra remedia tam violenta, quam exscindere conabantur, Sectam, aliis, iisque excogitatissimis artibus, conversionem moliti sunt, non cædibus aut sanguine, ita enim animas mori obfirmatas spe redeundi ad Ecclesiam orbari, sed capitis, sed bonorum, sed libertatis, quæ ipsa plurimis carior est vitâ, imminutione. Ad hæc ergo illi, qui Regum tanguntur ceremoniis, & esse illos sacrosancta capita, quibus vitam, libertatem, cultum divinum, omnia debeamus, reverenter agnoscunt, cæterà non nimium religiosi, obsequii sibi gloriam relictam

esse putant, & facilè in illa descendunt, ad quæ majestatis opinio impellere posse videbatur, hoc se fortè solati politico axiomate. *Libertas, quam regna coërcent, libertate perit, cujus servaveris umbram, si quidquid jubeare, velis.* At isti, quibus Regii nominis veneratio, quantum ab homine proficisci potest, innata est, Dei verò, velut Summi Numinis altior cura insedit, ita quidem temperare hoc obsequium conantur, ut, quemadmodum vitæ civiliter actæ Regi, tanquam morum vindici, ita sensuum internorum & divini cultus rationem, dummodo illa gloriæ Numinis pietatique in proximum non obsistat, soli Deo, ut ad quem refertur, constare velint. Sed quando jam plerique Principes, etiam pontificiarum partium, Episcopatum, difficilem sanè rem, auctoritati suæ vindicent, & pedum sceptuo jungant; imprimis, postquam Marcus Antonius de Dominis, libris de Republica Ecclesiastica, & Petrus de Marca nuper libro de concordia Imperii & Sacerdotii, tum sacrorum sensui, tum longæ consuetudini rem eam convenire ostenderunt; optandum utique erat, ut legum divinarum studio impensius se, quam fieri solet, addicerent, & ex formula ista, quam deuteronomii cap. XVII. Deus O. M. regnantibus præscripsit vitam moresque probarent; sic enim futurum erat, ut fastigio illi responderet virtus eximia, & Barbara illa & cum voluptate quæsita fortitudo in veram & Christiano dignam commutare-

taretur, nempe quæ pacis ſtudiis aſſueta, ægrè, & non niſi laceſſita, & cum ratione, ad arma proreperet magis quàm prorueret, non ſuis, non vicinis, non peregrinis temere inimica. In ſalutem humani generis ſunt miſſi Regei Principeſque, æmulaturi in illa dignitate divinos characteres, quibus cum pridem & iam olim, qui eſt fatalis error, exciderint, magno noſtro malo evenit, ut mera ſit & uſque duratura ζύγχυσις πολιτείας, donec decretorius ille adventantis Judicis dies reddita animis luce refictisque corporibus novam rebus faciem imponet. In ſubjectos autem, eoſque fidos, bonitas imprimis Principis exſerere ſe debet, neque ob diſſenſus in ſacris, & præſcriptione temporum & pactorum ſubſcriptione probatos, adeo duriter habendi erant, qui nec morum ſcandalo, nec calumniis in Regem libertate ſe iſta indignos præſtitere; ad quos multo magis elogium iſtud Ludovici XII. ſpectare videtur; cui cum de Valdenſibus & Albigeis relatum eſſet, diſſentire quidem eos à doctrinà recepta, & Papæ cleroque papali infeſtos eſſe, ſed tamen ſymbola ſectari Apoſtolica ſacrorumque lectioni & precibus intentos ſub utraque ſpecie dominicam adminiſtrare cænam, cæterà, vitiorum, ebrietatis fornicationis & avaritiæ immunes honeſtè & probè agere, exclamaſſe Regem optimum ferunt. *O' utinam omnis meus populus Catholicus eſſet talis!* in toto autem converſionis negotio ante alia conſiderandum eſt, utrum, quæ vel metu malorum aut ſpe meliorum exprimitur

mittur confessio, testimonio spiritus interni an alio argumento probari possit; nam, sive ipsi sibi Principes causam vindicent Dei, sive Clerus regii nominis auctoritate in rem suam utatur, examinare semper oportet, an illa religionis & sensus interni reformatio à politico sophismate, an à pio vel amaro zelo, an ab amore Dei & charitate erga proximum originem sumserit. Hic verò sanctissimas Principum personas in suspicionis crimen adducere periculosum; de Clero verò etiam, ut qui se divinorum adflatuum conscium jactet, secus opinari indignum. Sed tamen cum vivendi formula tam hi quam isti facilè ostendant, esse se quoque homines per omnia nobis ὁμοιοπαθεῖς, fieri potuit, ut amore secularium, gloriæ inanis fascino speciosisque titulis adducti fuerint, qui primi conversionis tam subitæ tamque violentæ negotium agitavere: neque enim, ut pietate in Deum, amore erga proximum, unicis bonæ Sectæ & causæ characteribus, rem actam esse quisquam credat, contraria sævitiæ & crudelitatis documenta, exauctoratio honorum, deprædatio rei familiaris & necessariorum, quibus vita tolerari debet, negata exilia, quæ beneficii loco reputari solent, militum dirissimorum hospitia, quibus fortissimi succumbant & alia bene multa facile evicerint. Quòd si autem de auctore tanti facinoris conjectandi locus est, suspicari quis posset, Jesuitas, genus hominum callidum, dum se conscientiæ sacratissimi Principis clanculum admovent, in satis-

satisfactionem anteactorum id quoque auribus insusurrasse, non alio magis iratum placari Deum posse, quàm agnità in universo imperio unica religionis formula, & ni facilè obtineatur, etiam coacta; & ne quid per hoc rei publicæ emolumentisque ærarii decederet, non cædibus, ita enim vastari regiones speratosque in futurum interverti conversionis successus, sed imposita per mandata necessitate, &, si forte mitiorem medelam non reciperent animæ exulceratæ, quæ mandatis expressa sunt media, procurandum esse hoc quidquid est negotii; neque piaculum esse, multare obstinatiores quosque bonis salva vita, & bona ista sic direpta vel fisco Regis aut reficiendis rebus suis quas temporum mutatio in pejus inclinaverat, addicere: jam verò gloriam triumfumque hoc majorem esse, quod ultimus ille vincendi ardor in Dei desinat causam, eo quoque successu, ut nec Romæ clerus, quantumvis piè devotus, ab omni retro memoria simile quid egisse videri possit, & nunc demum repertum esse, quod tot olim hodieque Reges de nihilo quæsiverunt, unam nempe toto regno legem, unam fidem, unum Hermetem Trismegistum, & uno in pectore Mosen & Aaronem, & si quid lætius attritis miserabiles labellis dictare blanditiæ solent. Equidem, cum Jesuitæ aulici sint Cleri Pontificii, & in illo theatro pulcherrimi hypocritæ, inde etiam ista morum elegantia donati, qua vel nitidissimis quibusque fastum facere possint, facilè inducor ut credam,

 ab

ab ipsis illis totam hanc scenam instructam esse, Regis autem auctoritate consummatam. Quidquid id est, jam antè & tum sæpe Clerus Gallicanus & Reges suo ipsorum arbitrio in Gallia, idque ex sanctione Pragmatica, in Ecclesiasticis usi sunt, non aliena, non Papæ, non alterius Episcopi suffragia morati. Quemadmodum autem totum hoc juris humani est, ita tantundem esse videtur, sive in privatam seu Regiam personam recidat hæc auctoritas, modò constet scientia rerum, quarum sibi vindicant decisionem, præditos eos esse; videri autem in Regum personis sacrorum intelligentia vitæque piæ & humilis exemplo, Episcopale munus, multò quàm in aliis, fieri illustrius: Quod adeo etiam Gentilibus fuit usitatum, ut non facilè, ad summam rerum aut imperatoriam dignitatem eveherent, nisi qui Pontificatu jam ante sæpe functus esset; quasi civilium rerum moderatio sacrorum demum conjugio tutior esset atque felicior, quamvis tam ad religionum arcana quam imperii violenti sophismata, occultanda, utile erat & ex republica utriusque regiminis summam dignitatem ad unum referri. Illam autem ego unius potestatem, ut est seculum, magis ratione morum & ordinis, quam veritatis caussa, inventam esse tamdiu existimabo, donec ex codice sacro demonstratum erit, esse hodieque homines extraordinariis quibusdam & Apostolicis prærogativis, hoc est, immediato Spiritus Sancti influxu, præditos, dignos adeoque, qui

in

in hisce terris Dei causam sacrorumque arbitrium digito temperent: Quod cum hactenus nemo ostenderit, imo verò Apostoli invicem & ὁμοθυμαδὸν coacti, non aliter regulis suis constare fidem voluerint, quam præsidio Spiritus Sancti, utique satius erit ad plures, eosque amore & humilitate adductos, quam unum aliquem, decretoriam de vero potestatem, devolvi. Habent quidem etiam Principes Clerum suum vel concilium Ecclesiasticum, cui curam sacrorum committant, verum, cum in ista animorum, post negatos influxus immediatos, diversitate arbitro opus sit, qui dissentientes componat, utile fuit & ex re publica, in summum magistratum, in Regium caput, per se etiam populo metuendum, vim illam atque auctoritatem derivare; neque enim alia vel dissentientem clerum aut populum in officio continendi paratior formula; cui si violentia accedat, nulla est mora, quin ad supercilium dominantis & vivendi & credendi regulæ & omnis sacrorum apparatus disponantur. Felices ergo subjectos, qui Principe fruantur, cujus omnes actus ad Dei spectent honorem, quique morum exemplo, pietate & justitiâ, viam salutis suis ostendat. Infelices contra & miseros, qui inviti in Principis transire obsequium, ejusque voluntati sophismate politico aut futili persuasione corruptæ animi sui sensum sacrorumque ceremonias accommodare per vim coguntur. Equidem, ut Religio a religando nomen habeat, nihil tamen ab eâ alienius, quam

credendi imperare necessitatem eorum, quæ ipsi liberè & sponte nostrâ, non ullius auctoritate, imperio aut minis adacti credere videri quisque volumus; adeo quod quis sibi sumit juris, & in Dei quidem causâ, cui voluntaria placent, id omnibus quoque indulgendum esse reor. *Humani juris est & naturalis potestatis*, ait Tertullianus, *unumquemque quod putaverit, colere, nec alii vel prodest aut obest alterius religio; sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debet, non vi, cum & hostiæ ab animâ lubenti expostulentur.* Adeo falluntur magnopere, qui violentiâ sacra constare putant, & formulam religionis Christianæ supercilio suo metiuntur. Modus ille regiminis, quo unicè triumphant Pontificii, extraneum quid est, neque tam bonitatem Ecclesiæ, quam potentiam eamque secularem, probat; de quo cum nihil in sacro codice legatur, imo alia, & multum diversa â Pontificiorum illa, regiminis formula, imò nulla commendetur, humani utique arbitrii erit, pro necessitate & conditione loci & temporum eam temperare, atque ita regere, ne libertati initi cum Christo Servatore fœderis adversetur. Est quidem Deus O. M, Deus ordinis, at, num ille ordo talis esse debeat, ut speciem monarchicæ majestatis, ut vim coactivam, ut dominium supereminens, nunc etiam, quod votis humanis majus est, infallibilitatem probet, haud equidem ex illis Sanctissimi Servatoris verbis elici posse puto, ubi discipulis suis, ne-

scio

ſcio quâ vertigine circumactis & honoris dignitatiſque prærogativam invicem diſputantibus, palam in os dixit, ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως. Quâ occaſione etiam ſemper humilitatem Divi Petri, adeo a Pontificiis elati, meminiſſe oportet, qui ſe non præſidem aut Papam, ſed συμπρεσβύτερον vocat, ſocium aliorum atque Collegam; & ne inſolentius quid de D. Paulo ſperemus, ille juniorem Timotheum, ille Sylvanum, Epaphroditum alioſque filios Spirituales, multò tamen ipſo minores, ſolo namque mediato influxu præditos, ἀδελφοὺς καὶ συνεργοὺς καὶ συστρατιώτας vocat; quo jam nihil amplius humani, ne dicam, Apoſtolici, in Papa & Pontificiis Epiſcopis eſſe quis exiſtimet. Civile regimen nullibi quidem a Sanctis piiſque Patribus affectatum legimus, qui contrà obedientiam docent & obſequium omnis generis magiſtratibus, ſive bonis ſeu malis, præſtandum; liberum duntaxat laudant & voluntarium ſacrorum cultum, neque temerè vel ſuppliciis aut voluntate imperantium mutandum, quandoquidem in Dei cauſa ipſi illi Numini magis ſit parendum quam hominibus; onera tamen, ſervitutem, & ſi quid triſtius corporibus imponunt imperantes, patienter ferenda eſſe, exemplo Chriſti Servatoris, qui etſi incredibili amore in genus humanum flagraverit, non tamen vi aut inſidiis, non clam aut precariò, ſed piis monitionibus vitæque ſanctiſſimæ documento liberas hominum mentes in ſe convertit. Ut adeo inepta illa argumenta, quibus ad tuendum illam

po-

potentiam Pontificii utuntur, non tantum destituere auctores suos videantur, sed & in contrarium pio sensu verti posse, suadente id quam maximè novi fœderis œconomia. Intelligo autem miscuisse illos sacra profanis, & cum viderent non posse religioni decus suum & auctoritatem constare, nisi accederet vis quædam Monarchicæ æmula, speciosa sanè & in vulgum grata forma, factum est negligentiâ imperantium, ut in sede illâ Petri cum invidiosâ potestate hominem collocarent superbum planè & tumidissimis titulis triumphantem. Hic namque, quo unum se omnibus majorem probet, infallibilitatis prætextu jus non in privatos tantum, sed Reges Principesque insolenter sibi atrogat, & universum Ecclesiæ negotium solus moderatur. Adeo, qui primatus ordinis esse poterat, non polluendo religionis Christianæ ceremonias, jurisdictionis esse cœpit; & cum ipsi illi Domini, dictaturæ suæ reditibusque Clericorum tuendis, plurimum illam regiminis formulam conducere experirentur, maximo sese opere in statu, quo erant, custodire conati sunt, eo successu, ut nec hodie tot annorum præscriptione usurpatus dominatus dirui humano consilio posse videatur, & quidquid demum speratur mutationis, arcano Dei ductui temporumque committendum sit fatis. Sed aliqnid jam est & schismati proximum neglectâ Romani Papæ auctoritate, ad Cleri aut Regis arbitrium omnia in Gallia devolvi, & quamvis ille Petri de

Mar-

Marcâ liber & Maybourgii defensio Regalis Ecclesiastici ferali obelo Romæ sint notata, usurpari tamen quotidie Regium in Ecclesiasticis nomen. Et sanè, si ullus est Regali in Ecclesiæ negotio locus, eòdem recidere videtur, sive in Principem seu alios devolvatur, modò virtute & scientiâ aditum sibi ad dignitatem istam fecerint; indignum enim videtur, moderandæ rei quemquam præfici, cujus scientiâ accuratiore imbutus non sit. Vereor autem, ne hoc quoque tristis ambitio repererit, & quo melius obligari animæ, & possessio, uncta admodum atque delicata, defendi possent, ad Episcopum unum, aut Principem relata sit jubendi & decidendi auctoritas. Sit autem ordine primus, quem Episcopnm vocamus Romanum, ut esse in omnibus rebus ordo debet & προεδρία, sed tamen vi cogendi absolutâ solus frui non potest, nisi ante constet extraordinariis eum donis & infallibilitate instructum esse; quod cum nemo sanus unquam de Papa Romano probaverit, Galli etiam & Angli, jam tum maturè, obnunciaverint, meliore jure ad plures spectare videtur de sacris rebus consilium, illudque in hac rerum caligine & animorum conflictatione ex votorum numero, vel, si æqualia sint, unius decisivo æstimandum. Ubi tamen non ante acquiescendum plurium suffragiis, quàm constet sine partium studio, sine ambitu, sola divini nominis reverentia & amore erga proximum acta omnia esse; quod cum de paucissimis dici conciliis possit, minus etiam de Con-

Constantiensi, & ultimo illo Tridentino, monarchici Papatus vindice, utique manifestum est, pium quemque Christianum decretis istis temere suffragari non posse, & anathema illud, rebus frivolis indifferentibusque suffixum, non magis ferire piorum animas, quam inane ex pelvi fulgur. Quid quod unius Hussi & Lutheri majus apud me sit pretium quàm tot numero Episcoporum in absurdas planè atque sacræ revelationi contrarias sententias, quæ erat temporum superstitio, euntium. Verum hæc res copiosissimè ab aliis disputata est professione Theologis, mihi satis est indicasse, non temere formam aliquam regiminis aut statum ad Ecclesiam pertinere, nisi quam pro temporum locique conditione voluntas hominum utilem judicaverit adeò, si formula aliqua ex sacris est repetenda, eam, cætui aut collegio ad divini nominis honorem & propagationem instituto, similem videri, cui fas sit plures, imo omnes, accedere, qui in eandem de rebus sacris sententiam ire non detrectant. Fascinat tamen usque pontificios illa Ecclesiæ species, ille ordo capitis membrorumque pulchrè coeuntium, illa pompa seculari proxima, illa fortunarum moles, quâ se longè latèque populo ingerunt. Ego autem, cum primum Romæ apparatum illum scenicum, illa operibus Phrygiis, tessellatis, aureis argenteisque donariis & emblematis, refulgentia templa, superbasque Cardinalium & Papæ insulas, illud sacrosanctum caput auro gemmisque fulgidum, illum μετὰ πολλῆς φαντασίας

τείας in solio adorandum pedem, mirarer, fateor, reperisse me quod vulgi in se oculos converteret; sed quod eodem simul intuitu prudentem quemque & pium novique fœderis Oeconomiæ conscium à Sectæ istius amore abstraheret. Decet sanè nitor sacerdotes, neque ædium Deo dedicatarum parietes squalor infamare debet, sed neque in luxum & phaleras exeat, oportet, modestia. Et ut sponsi triumphantisque Ecclesiæ elogiis obducere sua conentur, quibus ea res in quæstum transiit, totum tamen hoc naturæ pietatis & formulæ christianæ, à pompâ & seculi inanibus alienissimæ adversum reputo. Jam verò nec Antiquitas, speciosa res, ullam præbere argumento fidem potest, dum statim cum Apostolis invaluerint Sectæ, & cum verâ electorum Ecclesiâ in hunc usque diem adoleverint; adeo, ubi de veritate & orthodoxiâ constat, de antiquitate supervacua est quæstio & Symmachus cum ratione ad Valentin. Theodos. & Arcad. August. *si longa*, inquit, *ætas auctoritatem religionibus faciat, servanda est tot seculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Sera est & contumeliosa emendatio senectutis.* Quid quòd, si ulla Secta, Pontificia certè nova videtur & quotidie alia, assutis identidem pro Papæ vel Concilii supercilio præceptorum humanorum laciniis; adeo ut tunica illa Christi non ἄῤῥαφος amplius, sed tota quanta pannucea suturisque plena appareat, & veterem nitorem amisisse prorsus videatur. Illæ διδασκαλίαι καὶ

ἐντάλ-

ἐντάλματα ἀνθρώπων, à quibus cavere jubet Spiritus Sanctus, omnem apud Pontificios faciunt paginam, & sacrarum revelationum auctoritatem absorbsisse unicè videntur; non enim suo illos pretio, aut conscientiæ ductu, sed aliorum ingenio æstimare obnoxii quique coguntur. Verum neque a multitudine ullum Sectis præsidium paratum esse video, cum Arriani maximam semel orbis Christiani partem occupaverint, & Ecclesiæ nomen non numero sed bonitate censeri debeat, commonstrante hoc luculente novi fœderis naturâ. Ecclesia electorum est, est paucorum; adeo cum multitudinem in obtentum demonstrationis rapiunt, sacræ revelationis ἔμφασιν vel non intelligere aut defectum veræ solidæque demonstrationis sensuali sophisticoque argumento supplere velle videntur. Sane uti nec antiquitas, ita nec multitudo veritati vel officit aut patrocinium parit; propriis se commendat coloribus veritas, quam suus cuique animi sensus comprobare debet. Est sancta revelatio nostra, ejusque nomen omnes æque reverenter habemus, sed tamen non perinde eâ utimur; nam, dum nonnulli superstitionem, alii stolidam *simplicitatem*, alii mathematicam rationem in consilium adhibent, omnes verò sensu excidunt; ut enim sacris suus constet honos, est piæ humilique rationi, est auctoritati, est fidei, est interno conscientiæ testimonio, pro necessitate rei circumstantiarum, aliquid tribuendum, & ut in omnibus

bus certus est ἐπιστήμης τρόπος, ita suus quoque est & proprius sacra interpretandi modus. Scriptura sacrâ, ut est θεόπνευστος, sui ipsius est norma, & ex locorum consonantiâ mutuâque exegesi, puro humilique sensui facile patet. Non repetendum est ab Ecclesiæ formâ, ab antiquitate, a multitudine, carnalibus prorsus sensualibusque rebus, bonitatis testimonium, sed ab intrinseco quodam & essentiali charactere, qui animi conscientiæque provocet suffragium: quid enim juvat speciosum esse, quid antiquum, quid multum & magnum, si de verâ intrinsecâque bonitate nondum constet? Et ut Ecclesiam, seu cœtum optimorum hominum, præeuntem sequi oporteat, non tamen ante id faciendum, quàm certum sit, quas habet doctrinæ & morum regulas, veteris novique fœderis œconomiæ respondere; quod cum de suis singuli sectis propitie opinentur, non ad auctoritatem humanam, ut de quâ ipsa adhuc disceptatur, sed ad alium communemque sequestrum properandum est, nempe vel auctoritatem revelatam, quæ ipsa est sacra scriptura, aut rationem sacræ scripturæ interpretem; ubi cum rursum in diversa abeant Sectarii, & hic istud, alter aliud sentiat, nullum in universum verius esse potest tranquillæ mentis indicium, quam τὴν συνείδησιν συμμαρτυροῦσαν, sigillum nempe Spiritus Sancti & internum animi testimonium, quod D. Paulus gentibus ad pudorem usque toties objectat; & verò, cum sacra revelatio experiri quemque jubeat, num Spiritus,

qui se commendant, ex Deo sint, dicant, quæso, morum magistri, an ad aliam obrussam, quam fœderum sacrorum œconomiam & conscientiæ fidem exigi possint, qui animas negotiantur, Sectarii. Neque hic statim vel enthusiasmum aut Spiritum privatum imputare id facientibus oportet, quòd, si ad homines quoque referretur eadem auctoritas, utique ipsi illi auctoritatis suæ testimonium ab eodem principio, si aliâs evadendi ulla spes est, repetere necesse haberent. Adeo nec Patrum auctoritas, nisi quantum & illa fulcitur sacræ revelationis pretio, ulla est, &, cum multa & ipsi contra & præter sensum scripturæ commenti sunt, quod testimoniis probari potest & probavit Rivetus in Critico sacro, non ante sequendos eos ducimus, quàm cum sacris conciliati sint. Conciliorum novellorum, jam & omnium, quæ post seculum quartum habita sunt, similiter exile est pretium, quod & illa ad sustinendam molem & choragium papale pleraque instituta videantur; nempe, quæ pessima consuetudine jam inoleverant remedium poscentia, non abolita sunt, verum, si ex usu sedis Romanæ videbatur, quamvis non necessaria ad salutem, ominali tamen asterisco & anathema cœtui ecclesiæ obtrusa. Sed cum credere debeamus vixisse tum quoque & vivere hodienum nonnullos humili pioque sacrorum sensu contentos, & subtilitatibus istis capiendis minus idoneos, qui tamen vitæ integritate viam sibi ad cœlestia aperuerint; ita nunc quoque sperare habemus piam sim-

ſimplicitatem Spirituſque εἰλικϱίνειαν, quam ſancti identidem inculcant, in conſequendâ æternitate plus profuturam eſſe, quàm affectatam illam terminorum inſolentium ſcientiam & ſcientiæ innixam ſuperſtitioſam fidem. Nempe, ut exemplo occurram, in quo ſalus vertitur generis humani, & religionis noſtræ præcipuum caput eſt, Sacramentum Cænæ Dominicæ, quot non, quibuſque modis vexatum, ut humanus intellectus myſteriis eruendis par videretur. Primum ergo non contenti nonnulli μεταβολῆς & μεθυσίας termino prioris ævi Patribus uſitato, ad explicandam melius corporis Chriſti in pane præſentiam unionemque myſticam, *transſubſtantiationis* nomen, barbarum ſanè atque immite, ſophiſticis ornatum coloribus unicuique credendum ſub anathema propoſuere. Nimirum argutior aliquis ſcholaſticus, ſive is Magiſter ſententiarum fuerit, ſeu alius quiſquam, vel eruditi otii aut fervidæ diſputationis occaſione, invitis certe gratiis, in hunc ipſum prolapſus eſt rariſſimum terminum, hoc tamen commendatiorem, quod ad fovendam ἀϱγολατϱείαν, quæ jam tum invaluerat Berengarii Epiſcopi cenſuram commerita, plurimum conducere videretur. Num ergo, qui ante illam termini nomenclaturam, adeo etiam notionem, ſeculis primis vel paulò poſt, vixere fidei ſecreto contenti, damnandi ſunt, velut rei ꝫ anathema ſerò demum & poſt tot ſeculorum lapſum imputatis, quod ut non arbitror, ita nec nobis vitio verti poteſt, ſi relictâ ſupervacuâ ſubtilita

te prioris ævi candorem æmulati ſanctius putemus atque reverentius nihil iſtorum temere rimari, & cultum latricum non Pani vel ſigno, ſed Chriſto ubique præſenti, imprimis cum in & ſub Pane corpus ejus ſumitur, exhibere. Quod ſi ita quiſque ſentimus & credimus, utique nihil nobis arrogamus, nihil Deo detrahimus; & fieri vix poteſt, ut Deus O. M. voluntatem illam, quæ ſola ad obſequium ejus & reverentiam ſpectat, non probet. Quòd ſi in eâ credulitate ſalus verteretur orbis Chriſtiani, monuiſſet jam tum hoc Spiritus Sanctus, & capiendis ejuſmodi myſteriis intellectum exæquaſſet. Supervacua adeoque eſt & contra revelationum ſacra efficta credendi neceſſitas. Eadem Cæna, ut in incepto pergam, à Domino integra cænanda apponitur; at jam per aliquot ſecula, quaſi mutabilis eſſet Dei Spiritus & Martis inſtar Homerici, ἀλλοπρόσαλλος, una duntaxat pars à Pontificiis cænatur ſepoſitâ tantillum alterâ, idque ſub anathema; & quò ſciamus majus quid audere humana vota quàm Spiritum Sanctum, *non obſtante*, inquit Concilium Conſtantienſe, quòd Chriſtus ſub utraque ſpecie cænam ſuis miniſtraverit, & laïci tot jam ſecula eâdem formulâ *uſi ſint*, placuit tamen Patribus, neſcio quo ſpiritu impulſis, laïcos vino, alterâ & neceſſariâ Cænæ Dominicæ parte, prohibere, planè in fraudem Gelaſii Papæ, ut qui multò antè eâdem invidia, ſed piâ ratione, contrarium ſuaſerit. Ad hæc autem cum nonnulli labefactari nimium quantum Revelatio-

lationum auctoritatem viderent manifeſtâ contrarietate; & tamen Conciliis ſuus eſſet honos, pro divite illa ſcholaſticarum ſubtilitatum copiâ, aliud commenti ſunt dignum ingenio effugium. Nimirum, ne mutilari ſacramentum videretur, chemico, credo, Raimundi Lullii ſecreto, perſuaſi; etiam uno pane, utrumque & corpus & ſanguinem, repræſentari voluerunt; virtualiter namque in Pane abſcondi rubram tincturam ſanguiniſque æmulum ſuccum (poſſent etiam dicere vinum aut ſpiritum οἰνώδη, quem revera & actu diſtillatæ fruges oſtendunt) adeò & totum ſolo pane ſacramentum, coëuntibus in unum ſymbolis, exhiberi. Verum & hæc & alia bene multa, quæ in præcipuis religionum capitibus contra revelationis ſacræ ſenſum mutare placuit, non amplius exaggerabo, quando in illo argumenti genere latius ſe diffuderint noſtri Theologi, & meum non ſit ad particularia deſcendere. Non poſſum tamen committere, quin uno aliquo eoque graviſſimo ſcrupulo occurram, Sectæque Pontificiæ mores novo argumento, examine nempe formulæ precariæ, quod nondum penitus exhauſtum à Theologis noſtris video, ſimul & ſemel confundam; qua occaſione facile mihi erit probare, quàm longè adhuc à primis religionis rudimentis abſint, qui arcana tantùm non omnia & cœli myſteria devoraſſe videri volunt. De Prece autem vel Oratione ſacra conſtare debet, eſſe illam unionem animi humani cum Deo, finiti cum infinito, creati cum Crea-

tore, qua humilitatem obsequiumque ipsi nostrum ultro fatemur, &, quidquid in nobis est virium, est autem hoc quam tenue, vel Deo resignamus, vel ut influxu augeat suo, devote petimus; deinde, cum defectuum quoque & errorum conscii simus, rogamus, imbecillitati nostræ potentiâ suâ subveniat, defectus tam morales quàm intellectuales, tum etiam Physicos, pro immensis viribus & bonitate maximâ, suppleat atque emendet, inde & origine illa atque puritate, unde nósmet derivamus, illa lege animis inscripta, illis præceptis, quibus respondere vitam volumus, servandis pares præstat. Quando ergo oratio sacra arctior est cum Deo conversatio, non protinus abjicienda est ejus cum finita prece memoria, sed velut præsentis, circa actus tum physicos tum morales, meminisse semper oportet, & nihil non agere, nisi quod Numine teste agere nos debere conscientia ipsi nostra victi intelligimus. Adeo, ubi peccandi nascuntur occasiones, nascuntur autem sæpe, & singulis ferè momentis, reformidanda est Dei præsentia, &, vel ejus honoris causa, abstinendum ab eo; quò naturalis aliàs carnis impetus trahere nos videtur. Fructum enim precum periisse crediderim, si, quem petimus oratione Deum auxiliatorem, actu ipso seponamus, & velut alium longeque absentem monstremus. Et verò magnum hoc est imbecillitatis humanæ documentum, in actibus fere omnibus peccaminosis, Dei eludi præsentiam, & quamvis ho-

mines

mines longius abesse à noxis nostris volumus, ad Deum tamen, Numen ubique præsens ex principiis fidei, animum omnino non advertimus, quò appareat, carnis sensualiumque majorem apud nos esse curam, quàm invisibilis Dei: Quod equidem futurum non erat, si jam inde a teneris cogitationi illi de Deo assuesceremus, à parentibus, à præceptoribus, à fratribus commonefacti. Oramus quidem Deum O. M. idque per intervalla ad hoc destinata; verum cum ipsa prece & ipse finitur in Deum affectus, & in actionibus suæ quisque libidini & naturali appetitui relinquimur, non tam cogitantes, quid honestum, pium & Dei præsentiâ dignum, quàm quod utile & rebus corporeis animoque reficiendo idoneum; quod vitium per omnes Christianorum Sectas diffusum tantum non majorem Sacerdotum curam exposcere videtur, quàm hactenus vulgò fieri videmus. Ut autem melius intelligamus, quæ precum ratio esse debeat, consideranda in iis ante alia formula & objectum. Nam quod externum est & habitum spectat corporeum, accidentale est, neque semper necessarium; Internum verò illud, quod animo concipitur pioque in Deum affectu animatur, ut præcipuum est in oratione sacra, ita & formulam constituit partemque essentialem. Sanè uti spirituale est illud cum Deo commercium, ita spiritu interno confici debet & sensus nostri salutari meditatione adflati vel soli convertere in se Numen possunt. Verum, ut sufficiat illud Deo, poposcit

tamen aliud ille ad proximum respectus, nempe, ut in externa erumperet piæ collocutionis vis, & testata oris gestuumque humilitas alii cuique exemplo esset. Accedit, quod apud nonnullos sub certo habitu animus sibi eripi magis videatur, à mole aliàs corporis offensus. In universum autem constare debet, figuram corporis ordinariam, quâ ad res vulgares & quotidianas utimur, mutandam esse nonnihil, ut proximo quoque innotescat non civile esse aut profanum, sed divinum, quod agitamus, negotium. Atque hac ratione vero & rationali cultui, quem λατρείαν vocamus, verum redditur pretium, quod multis modis imminutum eunt Pontificii, objecti formulæque in illâ sui securitate obliti; quod ne gratis dixisse videar, ecce a tot seculis, non Christi, sed aliorum, sedsuis ipsorum meritis incumbentem Laicorum, quin & Clericorum turbam: ubi enim supplicandum est Deo, non ad ipsum illum omnis clementiæ fontem, non ad Christum Servatorem, sed ad homines hominumque imagines, quæ ridicula est humilitas, proni sese abjiciunt, indignos se esse rati, qui tot noxarum peccatorumque conscii, audite rem speciosè miram! ad Creatorem, ad summum *illud* infinitumque bonum sine arbitro properent. Itaque spretâ novi fœderis œconomiâ, non ad Christum, qui se ipse tot gratissimis vocibus in fratris, imo in servi, schemâ, offert & commendat, sed ad Sanctos, neque ad illos statim immediatè, sed intercedentibus idolis statuisque, se convertunt,

hos

hos esse arbitros sequestrosque Christum inter & nos existimantes, alias enim non impunè vexari tantam Majestatem ab hominibus impuris. Quorsum ergo, si recognoscere sacra mecum lubet, spectat illa Christi Mediatoris humilitas, missi non ad superbas suique fidentes, sed miseras atque deperditas hominum animas. Jam illa Pharisæorum, tumidæ gentis, exprobratio, esse Christum ἁμαρτωλῶν καὶ τελωνῶν φίλον annon luculentè commonstrat, quàm non omnino etiam impurissimorum hominum fastidiat contubernium: sed & vitæ illa ratio, quâ se vivum videntemque generi humano intulit, quid aliud probat, quàm ad miseros egenosque & spretâ seculi voluptate supplices omnem ejus curam spectare, & non tam hominum libidinosorum aut potentia seculi elatorum, quàm inopum esse tenuiumque καὶ κληρονομίαν, καὶ υἱοθεσίαν καὶ παῤῥησίαν, & si quæ plures in sacris occurrunt piæ & solatii plenæ voces. Non adeo humanæ sortis contemtor habendus est Deus, ut querulum opisque indigum genus superbè rejiciat. Putamus nos & piè putamus decere hoc Servatorem, qui est ejus versus nos affectus, ut humiles & religiosè opem rogantes, utut peccati labe inquinatissimos, & audiat patienter & Deo Patri sollicite commendet, ut in quod unicè missus à Deo videtur. Nempe unus ille est μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, de cujus erga nos amore, potentiâ & præsentia uti dubitare piaculum est, ita nescio, quâ veri specie excusari possit religiosus ille in sanctos

affectus dicam an impetus. Est quidem in eo Episcopus Condomensis libro, quem incrustationem fundamentorum fidei Catholicæ appellare fas erat, ut imputatum genti suæ ecclesiæque Sanctorum imaginumque cultum bonis verbis obducat; fueruntque in eo olim quoque Scholastici, illorum temporum arbitri, ut, quod sibi impingi viderent idololatriæ crimen, repertis mollioribus terminis, à sese amolirentur, semper & ubique testati, non figuram aut imaginem, sed prototypum intelligi, & ad discrimen probandum, qui Deo fieret cultus, λατρείαν, qui B. Virgini, ὑπερδουλείαν, qui Sanctis, δουλείαν esse. Ubi jam statim suo se indicio miseri produnt, quod cultum aliquem Sanctis, non vulgarem etiam B. Virgini imputent. At ne diutius nos morentur ineptâ & longè quæsita apologia, suis ipsos exemplis & vivâ praxi convictos sistam; & jam non promiscuè omnem cultum, modò his, modò illis Sanctis, sed si ullis, B. Virgini & Sanctis λατρείαν, à vulgo Papistico, Deo δουλείαν tantum, nisi ejus quoque in totum obliviscantur, tribui, atque sic œconomiam fœderis novi ordinemque, & formulam precum, quibus unicis pietas in Deum probari solet, penitus everti, ostendam. Quid enim, fuerint nonnulli, qui, cum jugulum sibi peti viderent, vel rem totam negarent, aut ingeniosâ terminorum fictione in libris suggestibusque Academiarum obducerent, non tamen subtilitatis ille sensus & acuta cultus precarii distinctio ad omnes & ipsum vulgus manavit. Sed

ut plerique illorum & cœci & cœcorum ductores, ita popellum cogitationibus suis vanissimoque imaginum cultui relinquunt. Nempe nunquam, quod toties meis sensibus exploravi, quod hisce oculis in Galliis, in Italiâ, Sectæ Pontificiæ nutriculis, vidi, & prudenti consilio dispexi, evelli mihi patiar experimentum, non magis Sanctorum, tam clericum quam laicum, vulgus, habere rationem, quam unius omnium Servatoris, Christi. Et quamvis id fateri pudeat ad examen & colloquium vocatos, ea tamen inditæ à teneris consuetudinis vis est, ut imaginis vel sancti alicujus, aut, quæ fœminarum proletaria superstitio est, B. Virginis ideam circumferant, & ita circumferant, ut sensuali phantasmate contenti prototypi non facilè meminerint; nam cum nec Sanctorum nec B. Virginis formam viderint unquam, in tot figuras, etiam fœdissimas, discerptam, per oppida, vicos, urbes, alio atque alio modo repræsentant, sensualemque imaginis diversissimæ ideam pro Orationis sacræ objecto semper & usque sibi exhibent. An verò formula precum, quâ Sanctis & B. Virgini occurrunt, aliud arguit, quàm verum eos latricumque cultum exhibere? dum enim eorum implorant opem, dum rogant suppliciter, dum morbis animi corporisque sanandis, dum omni malo deturbando eos admovent, dum eos actionum suarum conscios, dum testes & arbitros compellant, an aliud, adjuro hominum conscientiam, eâ re fatentur, quàm omniscios eos esse,

esse, quàm ubique præsentes, jam & attributorum divinorum vel socios aut participes; neque enim aliàs vel audiri vel intelligi devotorum suspiria vel componi possent, quod posse illos & velle exemplis tantum non infinitis, si credere fas est, adfirmant. Neque jam ad vulgum tantum spectat inepta & in Deum injuria credulitas, quo aliàs se excusatum eunt conspectiores quique, sed ad ipsos etiam sacrificulos & Cathedrarios Doctores majorumque gentium Episcopos; Hi namque totis libris ad fastidium usque sub spe præmii & metu pœnæ B. Virginis sanctorumque cultum popello commendant, nec temere aliâ viâ expugnari Dei O. M. bonitatem posse, quàm quicquid in nobis est pietatis, in ipsos illos conferendo, adeo, qui aliis impenditur cultus, non tam offendere, quam demereri sanctissimum Numen. Hisce adeo libellis lustrantur ecclesiæ, hisce pueri & feminæ initiantur, &, cum rarissima vel Dei vel Christi sit memoria, semper & usque B. Virginis Sanctorum nomina in ore habent objectisque periculis seriò invocant. In Italiâ Hispaniâque non alio magis superbiunt templa, quam tabellis votivis, non tam in Dei aut Christi, quàm Sanctorum & imprimis B. Virginis honorem suspensis. Basilica illa Lauretana tota militat gloriæ B. Virginis, obtrita ex parte Christi Servatoris memoria. In plerisque omnibus tabellis, sunt autem innumeræ, auxilium illa rogatur, &, quæ est ineptorum hominum superstitio, rogata præstat; hæc non col-

loquio

loquio tantùm suo, sed specie & forma, hæc contactu pios quosque & devotos tum per quietem, tum, ne quid Phantasiæ deesse appareat, media luce, si quid tabellis credimus, dignatur. Unam autem memorabilem tabellam præterire non possum, qua depictus longurio Hispanus ab equo præceps raptatur, implicato stapedi crure. Hic in tanto discrimine animi pendens, cui tandem Sancto in illa copiâ devotionem addicere deberet, miro enthusiasmo ad B. Virginem, eamque Lauretanam (nam pro Climatum varietate virtus quoque & efficacia imaginum dicam an spirituum alia est) preces suas unicè convertit; nec mora, quin statim ad piam B. Virginis memoriam pes stapede solvi, & ipse manifesto mortis periculo eripi cœperit, testante hoc subscripto elogio. Ego ad hæc Basilicæ Canonico, qui me comitabatur & inter alia in ejusmodi discrimine præsentius remedium non esse, quàm imploratum Mariæ Lauretanæ nomen, sanctius adfirmabat, mirari me, inquiebam, ejusmodi quoque casibus B. Virginis nomen destinari, cum tutius semper judicaverim & in Christum æquius ejus, velut ubique præsentis & omniscii, ope niti, & exemplo ipse meo ostendere possim, à simili, forte etiam periculosiore casu, Dei unius, cujus tum clementiam anxius implorabam, auxilio liberatum me esse, adeò non videri propriam illam unius Divæ matris Lauretanæ virtutem. Et ut constet, quanto negotio cultus ille B. Virginis ibidem celebretur,

mira-

mirabimini mecum, tot tantaque ex auro argentoque & gemmis dona, quæ vel terræ filiis saltum facere possint, à Regibus Principibusque honori ejus dedicata, elogiis suis invidiosissimis abundè testari, in quàs spes animique sensus eò missa sint. Nescio autem, quis me horror religiosus ad earum rerum spectaculum incesserit, imprimis, postquam non thure amplius aut mero, quæ erat Veterum hodieque gentilium superstitio, sed auro gemmisque, frivolis sane putidisque rebus, Sanctorum & B. Virginis gratiam, neglecta prorsus Numinis memoria, conciliari viderem. Sed ego continuò mecum, quod Persius sui temporis sacrificulis itidem perdite avaris objectabat; *dicite Pontifices, in Sacris quid facit aurum, si non quod Veneri donata a Virgine pupa.* Verum neque unius Lauretanæ Virginis hæc est gloria; sed ubique terrarum, mutato pro conditione loci efficaciæ virtutumque schemate, eadem instruitur scena, hoc solo discrimine, quod Laureti, Hallis, & in aspero Brabantiæ colle, prærogativâ aliquâ dominetur, viresque suas, si Lipsianis elogiis fides, potentius exserat; utque constet, quàm omnino variis abstrusisque rebus, quod nemo facilè conjiciat, suffragium commodet suum & quærentibus adsit, ecce in dedicatione operum publicornm B. Virginis nomen, illis ornatum epithetis, quæ unius Dei esse sobria mens dictitat. Quid enim aliud, quod inter alia, quæ referre piget, publicæ ædi nuper admodum, ne alios quis

esse

esse existimet quàm olim, inscriptum legi trabalibus planè & perennaturis literis. *Maria pacis à peste, bello, fame libera nos.* Ad hæc in ore belligerantium, in vexillis, in tesseris militaribus Mariæ, velut Deæ tutelaris, nomen, quasi etiam feminarum, jam & Divæ Virginis, partes, in bello, tristi admodum & funestâ re, essent. Et quasi inanimato quoque & nocenti ferro aliqua ab hac adflata vis accederet, ecce pudendum in gladio Maximiliani Symbolum. *Maria juva nos omnes.* Quod quid aliud est, quàm opiferam, quàm consciam nostri, quàm præsentem ubique & ad invidiam Dei Numen aliquod statuere omnipotens? Sanè aut orationis sacræ cultusque Latrici hæc formula est, aut nos vera pridem rerum nomina amisimus. Insultant Pontificii gladio Gustavi Adolphi Regis, fortunamque omnem, quæ vivum comitata est, figuris imputant Talismanicis, pertracto quoque in eam sententiam Gaffarello Gallo, rerum alias abstrusarum atque inauditarum vindice: Sed Morinus & ipse Gallus, fictam esse à malevolis inscriptionem in magno illo Astrologiæ Gallicæ opere demonstravit. Certè enim, quod his ipsis oculis vidi, nihil aliud cælatum unâ parte gladii legi, quàm *constantes fortuna juvat*, & alterâ, *nec temere nec timide*; moderata sanè & quam pia Symbola! Dei interim velut unici auxiliatoris nomine non in damnatissimum ferrum sed intra pectus recepto voceque & tesserâ militari testato, quam ipsam veram esse & mini-

minimè fucatam exorandi Deum formulam prudens quisque Christianus facilè senserit. Verum, si quis adhuc de fervida illa in B. Virginem propensione dubitet, insolentiâ rei commotus, pervolvat, quæso, libros unicè in honorem Divæ Matris conceptos, non à vulgo jam, ne quis excusationi sit locus, sed majorum gentium Theologis, & ipsis sedis Romanæ signiferis. Totum se devoto Mariæ Virginis cultui impendit Franciscus de Salas, propterea etiam inter Sanctos Divosque numeratus; estque qui circumfertur liber probatissimæ apud Pontificios auctoritatis: jam *Psalterium Mariæ*, quæ non & quanta promittit omnibus, Christi Servatoris elogiis in unam illam collatis; nunc etiam, quod vulgi quoque manibus teritur, Officium Sanctæ Virginis peregrina linguâ, quàm non in fraudem meriti divini incredibilia quæque uni illi adscribit? Christophorus à Vega, Jesuita Hispanus, quo solus demereri gratiam & advocationem Divæ Matris videretur, ausus etiam est universum Theologiæ Systema ei dedicare, & uti potentiæ, ita & sapientiæ omnem apparatum ab unâ illâ repetere: quem librum prodigiosis sanè & blasphemis titulis Marianis plenum, ne quis *unius* hominis auctoritate excusum credat, ecce præfixam universi Cleri censuram encomiasticam. Jam iidem illi Patres Jesuitæ, ne remotiora tempora nostris hisce insaniora credas, expugnata nuper à Gallis Luxemburgo, non tam Deum, quam Divam Matrem sibi conciliandam duxere; atque adeo,

adeo, ut ex libro in eam rem conſcripto habeo, non Jeſu Chriſti, cujus tamen honori ſocietatem ſuam dedicarunt, ſed *honoratæ Virginis*, *Matris conſolationum*, *Beneficæ Patronæ*, in precibus, machinis ſymboliſque Theatralibus, quibus ſe nugis vulgo probare ſolent, meminerunt: utque intelligatis, quantâ intemperie res acta ſit, quàm ſui & æqui obliti, ſacra profanis, gentilium hiſtorias & Regis τειχεσιπλήτου ſolemnia piis diviniſque ceremoniis, perditiſſimâ adulatione miſcuerint, ipſi repetite libellum hoc titulo venalem. *Avis aux R. R. P. P. Jeſuites ſur leur Proceßion de Luxembourg du 2.me May l'ann.* 1685. Neque jam mirari deſinent pii humileſque Chriſtiani, traditos eos eſſe εἰς ἀδόκιμον νοῦν, & obſtinata impietate non ſuas ipſorum tantum, ſed & aliorum animas, poſthabito vero precum objecto, in diſcrimen ſalutis adducere. At quid in re publico notâ, toties tamen negatâ, opus eſt teſtimoniis, fateri duntaxat pudet, quod verum eſt & emendare propterea fas non eſt, ne tot annorum præſcriptione regnans conſuetudo ſerò immutata erroneam vel Papæ aut Cleri conſcientiam proderet. De Sanctis verò hominibus illos etiam, poſtquam ex hâc vitâ emiſſi ſunt, & audire implorantium querelas & opem ferre, quamvis alias rogati id negent, indicabunt tamen effuſiſſimæ in merita eorum laudes & ſuſpenſæ in Baſilicis tabellæ; in iſtis enim parca admodum apparet Chriſti Servatoris, frequentiſſima contrà Sanctorum memoria. Va-

litudinem enim quisque suam, fortunas, omnia, ut est animatus, huic vel illi Patrono, Antonio, Januario, Xaverio, Borromeo, Cajetano aliisque numero infinitis commendant, & si quid ex voto accidit, in honorem adoptivi Patroni pictâ tabellâ subscriptoque elogio testantur. Neque jam intra Alpes aut Pyrenæum stetit superstitio, sed ad nos quoque vel transire aut pridem collapsa revocari debuit. Non satis erat in Lusitania & Italia coli Antonium atque adorari, sed ad inferioris Germaniæ incolas, in media Evangelii luce, notate impudentiam, opera Valerii Maccionii, Episcopi Maroccani, titulo precum *Novenarum S. Antonii de Paduâ* derivari nuper cultus ille debuit, matura tamen & eleganti illustris Conringii animadversione notatus. Oportet ergo augustiorem nunc esse Antonii vel formam aut spiritum, quam ut pristinis sese finibus includi patiatur. Crescunt fortè Sanctorum merita cum tempore, & qui olim uni duntaxat urbi aut regioni tuendæ pares erant, nunc tandem plurimæ orbis parti, fortè etiam universo, advocationem suam operamque impendent. Jam verò, non aliter ac si vilescerent nonnullorum merita, surrogari alios *aliis* videmus, & expuncta priorum memoria, ad nuperos & repentinos Patronos, preces omnes ac desideria converti. Sanè non ita diu est, quod nova religio Bavaros incessit, & cum B. Virgo in Divos referretur, necessarium erat post tot annorum oblivia Josephum quoque in solio & pergula San-

Sanctorum collocare, titulisque Deo dignis & planè invidiosis extollere, totamque Bavariam, seposito tantillum rerum humanarum arbitro Deo, curæ ejus tutelæque concredere. Ibi in libellis inauguralibus concionibusque tanta pii Viri memoria, ut si Christi illam conferas, præcepisse gloriam Josephus videatur. Utrum ergo Virtus illa Christi defecit, ut humanis auxiliis pensare deliquia ejus necesse sit, an verò persona ejus adeo nunc à nobis aversa, ut sine arbitro venientes nec audiat, nec juvet? Turpe hoc est & œconomiæ fœderum, tum verò etiam piæ humilique rationi, adversum. Certè enim eo ipso, quòd Christus ἀμίαντος est omnisque noxæ expers, cultum ei debemus religiosissimum, non temere id facturi, si & eâ parte, quâ genus humanum corruptum est, in culpâ deprehenderetur. Jam verò, si ea sit majestas & sanctimonia Dei, ut impurorum hominum preces sine ambage missas recuset, utrum temeritas dicenda esset ausus ille noster, an fiducia, pia & ex amore nata? Quòd si Judæis ideo sese obtulit, ut missâ sui fiduciâ unius ejus arbitrio dirimendam, quæ cum Deo Patre intercedebat, litem committerent; quantò magis agnitâ nunc expiationis formulâ & deleto chirographo, illi, tanquam vero caduceatori nostro, & preces & vota divinasque ceremonias dedicare fas est, Sanctorum vita moribusque, qui & ipsi hoc sequestro æternitatem consecuti sunt, in exemplum propositis. Præstant quidem plurimi mortalium, non inficior, sese

indignos ista prærogativa vitæ impuritate, & fiduciam, qua rectà & sine sequestro ire ad Christum poterant, imminuunt; sed tamen & ipsis, quantumvis hominum pollutissimis, quorum salutem jam tum vivus sollicitè quærebat, editis in ipsos maximis amoris & misericordiæ documentis, redeundi per fidem copia semper fuit & usque erit. Equidem in illo expiatio constare visa est, quod vili & abjecto habitu, divinum illud & plusquam humanæ potentiæ conscium Numen, non Regibus se mundique Dominis, sed contemtissimo vulgo impenderit, eorumque fidem Deo Patri conciliarit. Quod cum agnoscimus, annon utique Sanctos in hoc imitamur, qui, elevatis suis ipsorum meritis æternam salutem ad Christum unicè referunt; quod Apostoli omnes, primævi Patres & piè sentientium Ecclesia, semper factitarunt. Est profecto securior illorum ratio, qui Christo, unico Capiti & Statori Ecclesiæ suæ, in fide & humilitate totos sese devovent, Sanctorum vitam pia imitatione tum exprimentes tum laudantes, quam eorum, qui quotidianis & sine sensu compositis precum formulis vel imagines vel imaginum prototypa, Sanctos, identidem rogant, fatigant, cultusque formam insulsissimè pervertunt. Ego verò etiam injuriam Sanctis fieri puto ineptâ æmulatione; nam, dum, quem vivi exercuere cultum, unicè ad Dei spectaret honorem, indignari eos oportet, ubi permutata formula, qui Deo debebatur honor, vel sibi aut imagini humana

manâ majori impingi à posteris vident. Equidem Petrus Apostolus, cum ad genua ejus, velut salutis suæ procuratoris, Centurio Cornelius procumberet, colentis impetum protinus repressit, & hac voce, καγω ἀνθρωπος εἰμί, omne à se venerantis officium avertit. Nunc ergo, quid futurum Pètro, Sanctissimo Viro, existimatis, si quis nostrî apud eum sensus, quando videret non mortuo tantum, sed & tot numero imaginibus, eisque variè distortis, non obsequium tantum, sed cultum Latricum & planè divinum, exhiberi? Romæ in Vaticano ahenea S. Petri imago justa staturâ colitur; sedet ibi accepturus nunc, quem vivus repudiaverat, honorem; ibi ad imaginis in Cathedra repositæ genua à tot retro seculis universi procumbunt, neque procumbunt tantum, sed exsertum ad hoc nudum pedem pedisque pollicem spississimis basiis implent, & vel salivali fermento aut oris attritu sic tandem imminuunt, ut absumta magna sui parte pollex, etiamnum mutilus conspiciatur. Quod idem fatum Cruci argenteæ Portæ jubileæ à perpetuis inde osculis accidisse non sine stupore notavi. Cum Barnabæ & Paulo Lystris Evangelium prædicantibus populus victimis & reverentia occurreret, magna contentione impetum adorantium cohibuere, & laceratis, quæ suprema est indignantium nota, vestibus honorem Deo debitum a sese amoliti sunt, dicentes, & ipsos se homines esse ὁμοιοπαθεῖς. Nunc etiam Angelus Laodiceæ cœlesti fulgore oculos perstringens, adoranti

& in genua procumbenti, surge, inquit, σύνδουλός σου ὑμῶν εἰμί; nempe, conservus vester sum. Sanè si quid humana natura augustius & Dei naturæ affinius, certè id Angeli sunt; & tamen ipsi, quod creaturæ sint & originem Deo debeant, omnem à sese cultum & adorationem amovent, unique omnium auctori, Deo, imputari volunt. Annon ergo fatalis est ille stupor, ad Sanctos, eosque homines Angelis, Petro, Paulo, Barnaba, minores, jam etiam ad signa eorum & imagines, cultum convertere divinum, rogare eos, supplicare, osculari, victimis donariisque & cultu quovis religioso, certè plus quàm civili, demereri? Jam ergo, ut ulcus tangam, definiant nobis in tanta rerum caligine, quinam sint illi Sancti, quos colere oporteat; nam indicem quidem eorum ob ineptos commendantium impetus reformare identidem opus erat: tum verò, si sunt, quam nostrî habeant curam, utrum actionum nostrarum custodes & arbitri? & si sunt, utrum migrandi celeritate an extensionis spatio aëris hoc convexum inhabitent, an verò in Dei imagine, cujus nunc commercio fruuntur, velut in speculo objectas miserorum viventum necessitates & culpas & videant constanter & apud Deum exorent? Quæ profecto talia sunt tamque abstrusa, ut facile decerni non possint, & decreta non facile credi; tantum abest, ut funesto & anathema telo compungi debeant, qui minus in re dubia, fortè etiam falsa, sunt creduli. In Cabala Judæorum & Græcorum Schola, Pythagoræ, Platonis

nis aliorumque genium quisque suum, velut domesticum, colebat, intra corporis sphæram coacto ejus contubernio; atque hinc teste Wagenseilio, qui Judæorum arcana habuit cognitissima, tanta Angeli custodis apud Judæos fuit veneratio, ut, quando ad sellas Patroclianas contenderent, foris eum præstolari juberent, ne fæditate oleti offensus socium deserere cogeretur. Hi ergo, sive genii seu Angeli suum quisque observabant hospitem custodiæ ejus destinati, fortè etiam eorum, quæ apud singulos agerentur, conscii. De separatis autem hominum, qui olim vixerunt, animabus, versari etiamnum illas apud nos, regere actiones hominum & speculari, succurrere pro illa bonitate laborantibus, imprimis si rogentur, neque jam locorum vel numero aut angustiis coerceri, sed passim & ubique his, illis, pro necessitate adesse, & alia multa, quæ divinum arguunt characterem, adfirmare, durum planè videatur atque insolens. Habuerint autem Judæi curam spirituum, imaginum tamen, rei prorsus nunc apud illos detestatæ, non habuerunt, quas ipsas, quod prævideret facilem ad eas prolapsum Deus O. M. expresso mandato prohibuit. Obducunt sic quidem imaginum cultum Pontificii, & *non esse in iis ponendam fiduciam* monet Concilium Tridentinum, interprete Bossueto; sed tamen ego mille experimentis persuasissimus sum apud vulgum Pontificium sensualem tantum regnare imaginis ideam, & hanc ipsam esse, cui se & vota sua precesque sine ordine & cum fidu-

cia dedicent, esse adeoque in vulgi sensu humanam, sæpe etiam informem, vel picturam aut statuam Latrici cultus objectum. Verum, cum tanto molimine Idololatriæ crimen à se avertere nitantur Pontificii, paulò altius repetenda est ejus natura, & ostendendum, quàm omnino de nihilo effugiant crimen, cujus manifestè rei sint. Est sanè imaginum cultus à prima hominum memoria vetustissimus; nam & in exili illo delectoque Jacobi Patriarchæ grege & supellectili idola quædam sensualesque imagines Labano Socero surreptæ latuere, quæ tum primum abdicata, quando aram sibi in Betel excitari jussit Deus O. M. Et sanè, non temere deinde in monte Sinai primo præcepto, *de non faciendis Dîs alienis*, cautum fuit, quod præceps nimis esset & facilis, naturæ corporeæ vitio, ad sensualia illa progressus: & tamen, res mira! in illa fœderis Deique cum illis conversantis luce tam turpiter se dederunt Israëlitæ, ut ex levissimâ occasione sui divinæque ideæ obliti ad imaginum cultum relapsi fuerint, imitati in hoc gentilium vicinorum mores. Instillaverant haud dubiè animis illorum uterque & Moses & Aaron, Dei invisibilis ideam, repudiata quavis alia sensuali specie: hanc ipsam constans ductorum præsentia fovebat, donec abrepto in montem Sinai Mose diutiusque morato labefactari nonnihil cœpit, & ad sensualem corporeamque inclinari. Itaque, quòd in Ægypto sub Bovis specie coli Numen vidissent, ipsam illam ex auro fabricatam bovis imaginem

Deo

Deo dedicarunt, nihil per hoc quoque divini Numinis gloriæ decessisse putante Aarone. Hic verò quis credat Israëlitas, postquam per tot experimenta commerciique usum Deum novissent, sub imaginis illa specie ipsissimum Numen repræsentare voluisse; credibilius est, corporeum aliquod & sensuale objectum quæsivisse eos, cujus conspectu, veluti signo, ad invisibilis Dei cultum erigerentur, nisi quod simpliciores quoque à verâ Dei ideâ abducti totos se corporeæ ideæ impenderent, & excusso negligentius animi sensu, signum pro re signata, qui vulgi error est, acciperent. Unde enim alias natæ duræ & in Numen injuriæ voces. *Hi sunt Dii tui Israël, qui te eduxerunt ex Ægypto*? Quidquid autem illud sit, sive Numen sub specie illâ intellexerint, seu pro signo tantum habuerint, ubique peccatum, Deique omnem recusantis manuum fictionem ira licentius provocata; quod ipsi quoque longâ successione Judæorum Reges exemplo suo docuerunt, quorum fortè aliqui animi simplicioris vitio, alii carnali, alii politica ratione impulsi in Idololatriam proni cecidere. Regum sapientissimus Salomon, quem Dei unici atque veri puram habuisse ac intemeratam ideam justa suspicio est, feminarum calliditate, quis credat? eò deductus est, ut & ipse gentilium idolis sacra faceret, & religiosâ specie supplicaret; non quod cassis illis putidisque rebus, iconibus νδρομαγάςοις, Numen inesse crederet, sed quod feminarum Barbararum amoribus quæsitisque le-

nociniis hypocrisin illam deberi persuasus esset, gravissime tamen ob hoc crimen inflammato Deo. Jerobeam, cum decem tribus Judaicas sibi devovisset, ne in illâ sacrorum, quæ duntaxat Hierosolymis celebrari fas erat, absentiâ animum quoque à novo repentinoque Domino abalienarent, sui tuendi studio consultum duxit μοσχολατρείαν, jam etiam Patrum memoria vicinarumque gentium contagio notam, revocare; idque eo successu, ut futilis damnatæque superstionis amore captæ tribus patriarum ceremoniarum facilè obliviscerentur, & non interrupta annorum serie præeuntibus in speciem Dominis, idolorum cultui fidem nomenque addicerent. Neque tamen, ut ad invisibilis Dei honorem omnia illa relata credas, idololatriæ notam effugere potuerunt, severissimè in ipsos animadvertente Deo O. M. Quid autem in Deum legemque ab ipso latam, *non facies Deos alienos*, committi atrocius potuit, quàm naturali & inscriptæ animis ideæ leviter & inconsultò renunciare, & vel plebeculæ ad sensuum ludibria imaginesque visibiles facilè conversæ, vel vicinarum gentium aut feminarum gratiam, posthabito Dei obsequio, aucupari. Adeò non video, quo colore Pontificii ab eodem hoc crimine absolvere se possint, dum hodieque ad imagines proni se abjiciunt, eas honorant & venerantur, & tamen moniti, non ad imaginem se, sed rem imagine expressam, non typum, sed prototypum, cultum qualemcunque, fateri autem pudet religiosum esse, refer-

referre solent. Quod effugium cum doctioribus paratum videam, non habet tamen vulgus, quo credulam simplicitatem & versus corporea affectum obducat; raræ enim, imo nullæ, hac de re in suggestibus monitiones, &, cum inanibus frivolisque historiis tempus quotidie extrahitur, de formulâ objectoque precum, re unicâ & Christiano dignâ, minus eos sollicitos esse videmus, qui animarum curam susceperunt. At fortè utile est & ex re ipsorum, tritam docere calcatamque semitam, & ire quâ itur, non quâ eundum est, &, quod Græci in proverbio dicunt, καλὸν δὲ κείμενον μὴ κινεῖν. Nam, ut animus conceptâ verâ precandi formulâ excussisque præjudiciis mirificè illustratur, verendum erat, ne & illa lux cæteris religionis capitibus novum adflaret sensum, & sic peculiosi illi tot annorum reditus perirent. Id enim certissimum est, si veram precandi viam insisterent Pontificii, si objecti formulæque veram haberent justamque ideam, futurum erat, ut ad alia quoque pia meditatio transiret, & superbè concepta theoria collaberetur. Quod si illud religionis & Christianismi caput Patres Concilii Tridentini sollicitius examinassent, utique plus attulissent rebus christianis emolumenti, quàm vana illa tot dogmatum non necessariorum & tamen ferali anathemati subjectorum, compilatione. Ergo, ut semel piéque de objecto cultus sacri decernam, damnandus in totum, qui imaginibus impenditur cultus, vel propterea, quod in vete-

ri

ri Testamento tam severus exiterit idololatriæ vindex Deus O. M. & quod plebem sensualibus deditam ad alia perducant, & ideam, quam de Deo ex Sacerdotum institutione habere poterant puram, imaginis corporeæ, quæ cogitantibus velut adorationis objectum perpetuo obversetur, phantasia deforment. Imo verò, si curiosius rem examinemus, ne quidem ullo honoris gradu afficiendas esse imagines, constare debet, cum in rem scenicam, Theatralem, &, quod pessimum, sellularii opificis manu factam, nullus ejusmodi honor cadere posse videatur. Quod si igitur tolerandæ sunt Christi Sanctorumque imagines, quam ego rem âdiaphoram esse puto, prudenter id agendum & pro genio nationis, neque alium in finem, quàm ut vulgus in illa sui securitate, conspecta Christi imagine, tanquam nudo signo, ad interiorem animi cultum invisibilisque Dei λατρείαν extitetur, miseriæ suæ & peccatorum offensique per hæc Dei semper & usque memor. Sanè uti campanæ sonitus devotionis revocat memoriam, neque ideo statim campanæ monenti nos obvertimus, ita imaginum objecta specie non ad ipsas illas, sed ad Deum Christumque convertendus est animus, remota tantillum rerum caducarum terrestriumque, quæ nimis sæpe nos occupant, idea. Neque jam si Sancti alicujus signum aut imago offertur, ad ipsum velut Servatorem aut genium tutelarem, qui pessimus est abusus, sed ad vitam ejus & acta remittenda est cogitatio, & quemadmodum ipse viam

ad

ad ſalutem æternam, non ſuo merito, quæ eſt damnanda φιλαυλία, ſed Chriſti interceſſione ſibi paravit, ita & nos hoc indicio monitos ad unum omnia Chriſtum referre oportet. Certè enim, qui quotidie in noxam prolabimur vix momentum ſecuri, ut non peregrini adflatus vel mentem aut actiones noſtras culpæ involvant, jure merito ad Proxenetam noſtrum & Mediatorem, quoties noxæ ſubit memoria, ſubire autem ſæpe debet, animi cultu properare, aut, ſi ſponte noſtrâ id facere non poſſumus, objectis hinc inde ſignis, velut monitoribus, impellere nos ipſos opus eſt. Sunt, fateor, quibus naturalis contigit pietas, & animus jam inde â teneris ad divina quæque & frequentem de Deo Chriſtoque Servatore memoriam eſt diſpoſitus, qui ſponte & ſine monitore ad noxæ conſcientiam cohorreſcunt; ſed tamen & alios reperias, eoſque plures, qui ſeculi curis vitiorumque diſtricti illecebris, ſignis opus habeant impulſoribuſque, in quorum gratiam oportunè excogitata, quæ ſenſus animumque religioſo horrore percellant, quæque aures perſonent tintinnabula, quæ oculos commoveant, imagines, quæ in exemplum proximorum geſtus provocent, indicia; quibus tamen non ſic penitus devovendi ſunt ſenſus, ut ſignum pro re ſignata, perſona pro rebus, ſpecies pro exemplari, ſi exemplar corporum cœleſtium jamque in immenſum, & ſupra quàm credi poteſt, illuſtratorum, haberi poteſt, accipiamus. Quod ſi Pontificiorum

Sa-

sacrificuli id sibi sumerent laboris, & in suâ quisque parochia grègem examinarent, ineptam planè & frivolam de Deo ideam, formulam verò precum aut nullam planè aut insulsissimam, reperturos eos esse scio; plerique enim non tam Dei, quàm Sancti alicujus aut B. Virginis formam animo complectuntur, atque omne orationis sacræ choragium ad ipsos illos, neglecto rerum humanarum arbitro, Deo, convertunt. Audivi sæpe in concionibus sacris, ubi divini Numinis gratia imploranda erat, B. Virginem aut Sanctum aliquem, imprimis autem viciniæ illius aut Parochiæ genium tutelarem, Patronum vocant, suppliciter rogari, ut merito vel influxu suo caliginem intellectus dissiparet, sacrisque faciendis piisque cogitationibus redderet idoneos. Vidi ultimam morientium cruciariorum vocem in Mariam desiisse, laudante ad hæc pietatem populo. Et verò, cum in sacris suggestibus B. Virginis mentio fit aut invidiosum epithetum auribus insonat, qua non veneratione laudantis ille impetus excipitur, commotis imprimis sexus affinitate feminis? Et ut causam agam Divæ Matris, sanctificata haud dubiè fuit & ipsa sanctissimi corporis Christi custodia, & participavit aliquam beatitudinem, sed ἀναμάρτητον fuisse, jam etiam, quod humanis auspiciis majus est, sine ulla peccati labe conceptam, quam hyperbolen ad exaggerandum piæ Matris cultum inventam fuisse constat, nullis unquam argumentis induci possum, ut credam. Nunc

etiam

etiam, ut de formula constet, quàm non & illa apud Pontificios suspecta, cum ante Lutheri tempora non aliæ in Ecclesia regnaverint preces, quam τὸ *Pater noster* & *Ave Maria*, & *Kurie-eleison*; idque tanta negligentia, ut promiscuè modò ad Christi, nunc Sancti, nunc Virginis imaginem abjecti illas preces sine ullo sensu insusurraverint. Jam etiam post Lutheri tempora non multò diligentior in excolendis precum formulis opera; nam, quasi unis istis animi sensus declarari posset, ita hodienum in Italia Hispaniaque & in ipsis Galliis in perpetua illa globulorum precariorum rotatione, peccatorum venia, vitæ præsentis felicitas, salus & pænitentiæ formula vertitur, neque hic vulgi duntaxat, sed & sacerdotum error est, tam ex stolida consuetudine, quam utili pertinatia prognatus. Nam, ne excusationi ullus relictus sit locus, annon Pontifex maximus, ut à summo incipiam, annon Episcopi longo ordine omnes, annon Presbyteri, ad expiandum Deum & demerendam peccatorum veniam aut indulgentiam, jam dimidiatam, jam plenariam, non præsentium tantum aut præteritorum, sed & futurorum, non in annos duntaxat, sed & secula, & ad liberandum animas ex purgatorio, certum imperant precum Dominicarum & Salutationis virgineæ numerum, assignato & loco & tempore, quasi affectus in Deum non tam suo, quàm alieno arbitrio constaret, & coacta devotio voluntaria quaque Deo gratior esset: ubi tamen clericorum cru-

crumenæ magis, quàm miserorum saluti, provisum esse puto. Equidem non diffiteor, esse debere ordinem aliquem & disciplinam Ecclesiasticam in refractarios segnesque; at nihil actum esse reor, si intrinsecæ devotionis, si veræ formulæ, si errorum quisque suorum non habeat rationem. Ut enim pia sit & θεόπνευστος Dominica Oratio, omni etiam loco & tempore recitatu digna, major tamen peccatorum veniæ à numero præcipitique in orbem rotatione, quàm vera ejus intelligentia, accessio. Utrum ergo numero & inani repetitione, πολυλογίᾳ καὶ βαττολογίᾳ, quam velut inutilem vanamque gentilibus imputavit sanctissimus Servator noster, capi Deum posse existimandum est? Quod si autem negare rem manifestè notam Pontificii sustineant, agite, recognoscite mecum compita, Basilicarum angulos, & versatos manuum lusibus identidemque recurrentes precarios globulos, & mirabimini mecum en pueris feminisque peregrinum murmur & multiplicatas eodem spiritu unas easdemque preces, signantibus numerum globulis; nempe, ne quid plus Dei tribuerent honori, aut minus facerent, quàm sacerdos imperaverat. Nunc etiam, quod peregrina lingua & plerisque illorum ignota, non Sacramenta tantum, sed & Evangelii lectionem, & ipsas illas preces, quibus necessitatem quisque suam animique anxii curas explicare debet, proponant, tam stolidum est, quàm quod maximè; adeo etiam nonnulli eorum, sua ipsorum conscientia meliorisque Sectæ affinitate,

con-

convicti, solennem istam receptissimamque Orationis Dominicæ Virgineæque formulam & Evangelia, vernacula lingua reddere non sunt veriti; cætera satis prospicientes, ne agnita semel libertate Christiana, ad sacra, tum legenda tum interpretanda, interni spiritus adhiberent testimonium. Et verò præjudiciorum ea apud Pontificios vis est, ut Canonici, qui certas horas Dei consecrarunt honori, & ipsi sæpe non intelligant, quæ latina Breviarium complectitur; & monitio quàm indignum sit alienâ cum Deo lingua transigere, respondeant, Deum pia voluntate contentum, non temerè morari verba, si non oranti, at saltem scienti omnia Deo, intellecta. Sed cui non ἄλογον videatur & Barbarum, alia, quam sua aut cognita lingua, Deum alloqui, si oris aliquis usus in explicando animi sensu esse debet. Fateor quidem, si commercium illud cum Deo spectes, animi testatam voluntatem formulæque intrinsecam ideam sufficere posse; verum, quatenus in actus etiam orisque lusum propter exemplum erumpere pietas debet, non video, aliter quam cognita lingua fieri id posse, nisi ludificari Deum & Proximum velle videmur. Est Oratio sacra, ut numeris suis constet, personæ, est tempori, est objecto, est denique necessitati atque ærumnis adæquanda; & in universum quidem, in verâ precum formulâ duo consideranda veniunt, negativi aliquid & aliquid, ut sic me explicem, positivi. Negativum id vocaverim, quando animus, ut Deo se probet,

ab alienis quibuſque ideis purgatur, & à ſeculi curis ſuique amore abſtrahitur. Poſitivum id videtur, quando majeſtas & gloria Numinis divini cum noſtra ipſorum tenuitate confertur, calamitates deinde vitæ & peccatorum copia, quibus circumvallamur, debita & rationali formula, ad miſericordiam ejus remittuntur, quam religionis partem, ut omnes Sectæ negligentius tractent, Pontificii tamen omnium negligentiſſime. Sanè totis ante Lutherum ſeculis neſcitum ferè eſt, quis eſſet Orationis Dominicæ ſenſus, needum penitus ex Italorum Hiſpanorumque animis deleto ſtupore; cum illo enim primum, quæ divina fuit bonitas, renata ſacris revelationibus auctoritas, obtritâ humanâ illâ, & inſimul quoque interno animi ſenſui precariæque devotioni priſtinus rediit avitusque nitor. Nam, ut ſacrorum dulcedine potentiaque affici quiſque cœpit, ita animus quoque novo ſpiritu adflatus in id unicè incubuit, quò unionis illius ſpiritualis cum Deo amoriſque erga proximum argumenta extarent. Hinc ergo à piis Viris precum & numero & varietate certatum, in tanto etiam delectu reperientibus facile idiotis, quod imitarentur. Magnum autem operæ pretium fecit Lutherus, quod Decalogum, Symbolum Apoſtolicum, quod Sacramenta, jam etiam, ne vulgum lateret, quid Oratione Dominicâ peterent, ſingulas orationis hujus pericopas idoneâ interpretatione illuſtraverit; ut needum ſciam, quis ille fuerit ante Lutherum Chriſtianiſmus, nul-

nulla adeo vera devotionis formulâ, nullâ sacrorum intelligentia, instructus. Simul ac autem nebula humanæ auctoritatis dispelli cœpit, revocatæ protinus veterum Patrum, Chrysostomi atque Augustini, orationes precariæ, servatæ etiam, per nostros magis quàm Pontificios, ne partium studia obstitisse quis credat, ex magno naufragio raræ tabulæ, sive à Kempis seu Gersonis, jam etiam Tauleri piæ ad Deum cogitationes; quibus cum tempore in supplementum accessere Gerardi, Avemanni, Arndii aliorumque precaria monimenta, omni casui & necessitati cum ratione destinata, quorum frequenti lectione etiam simpliciores quique ad formandam domi orationem redduntur idonei. Adeo nunc demum intelligo, rediisse Christianis in reformata Ecclesia Evangelicam libertatem melioremque de Deo sensum; quæ profecto res tanti est, ut non facilè absque illa cœlum obtineri posse videatur. Nempe, si cognitione objecti, id est, Numinis divini, qualis demum illa sit, destituimur, fieri vix potest, ut cum eo in gratiam redeamus, in cujus potestate salutem nostram sitam esse credimus. Sint Sacramenta media illa & sigilla, quibus Dei erga nos affectus unioque spiritualis procurantur, verum & ipsa, nisi vera pietate in Deum & sale devotionis animentur, vix quidquam juvare Christianum possunt: adeo in omni vita Praxique pietatis preces verum sunt atque unicum Deum conciliandi fundamentum. Imo, si rectè calculum ponimus, etiam in actioni-

bus cujusque nostris elucescere precaria pietas, & facienda singula vitæque negotia comitari ille ad Deum proximumque respectus debet; quod etsi sine expressa aliqua formula, non tamen sine interno animi & pio sensu, qui precis instar est, fieri potest. Quò minus mirari habeant Pontificii, tantam à nostris in excutiendis precum formulis impendi operam, & pueros, etiamnum lallantes, omnis generis orationibus sacris in horas & tempora accommodatis imbui, quas deinde corroborati usibus quisque suis & casibus applicent domesticis. Et ut sciant, quàm pius sit formularum istarum sensus, ad unam omnes ad meritum Sanctissimi Servatoris, ad passionem ejus & advocationem, nunquam ad sui ipsius aut hominum facta meritoria, referuntur. Non inficio re quidem, animum, uti omnium Sectarum, ita & Pontificiorum, bene esse erga Deum affectum, & diuturnitate illa numeroque non intellectæ orationis, jam etiam imperatis corporum afflictionibus, satis ostendere in unius Dei gratiam hæc fieri; verùm, cum piæ rationis auctori Deo, sine vero animi sensu meditataque prece, occurri non posse videatur, & non tam in mora numeroque orationis sacræ formale vertatur, quàm in attentione, objecto & necessitati æquatâ, utique nostras partes & dogmata meliora esse Pontificiorum istis, manifestissimum est. Elias certè, unicâ, sed piâ & pro necessitate illâ excogitata oratione, Deum citius superavit, quam Baalitarum sacrificuli,

culi, iſtis longis, & aërem rumpentibus lamentis, adſcito etiam in ſupplementum corporum tormento. Illis autem animum exorandi Deum fuiſſe qui negat, oppidò fallitur; animus ſanè non defuit, ſed vera acceptaque Deo formula, jam & objecti vera & Dei regulis congrua intelligentia, quibus ſolis vera pii Chriſtianique hominis liturgia probatur. Apud nos quidem hodie carere formulâ preces videntur, ſi attentione & fide in Chriſtum deſtituantur; ut qui noſtros defectus erroreſque ſanctiſſimâ interceſſione apud Patrem unice diluat; in illo enim objectorum corporeorum luſu ſenſuumque imbecillitate, vix quenquam eſſe puto, adeo ſui certum atque fidentem, ut, omnino proprio conatu negotium hoc confici poſſe credat, ſepoſito Mediatoris Chriſti arbitrio; longè alia & difficillima res eſt ſacra oratio, quâ ſenſualis idea, cui jam inde à puero aſſuevimus, intellectuali aliquâ permutari, aut in totum evelli debet; & ut monachi in illâ ſenſuum tortura id ſe præſtare poſſe adfirment, & fortè præſtent, nihil tamen efficiunt, ſi formulam precandi objecto convenientem non habeant, quam cum ipſi caſus & vitæ miſeriæ forment, non apparet, illâ ſolitudine & fugâ commercii humani, ſuppeditari veram precandi materiam poſſe. Quidquid autem id ſit, ſecurius tamen in univerſum erit, defectus aliquos agnoſcere, & Servatori noſtro excuſandos committere, quàm meritorum aliquorum niti fiduciâ. Facere tamen etiam oportet, quæ mandavit Deus O. M.

ſeriò & operâ quanta maxima, & cum præſtandis omnibus, quæ mandavit Deus, pares nos eſſe, credere ſuperbum ſit, quotidianis precibus comprehendendi ſunt illi defectus, novique influxus rogandi: ubi tamen obſervo familiarem eſſe aliquorum errorem, exiſtimantium unâ alteraque prece decretoriæ horæ reſervata expiari tot annorum noxas, adeoque illi momento reſervari vitæ morumque emendationem poſſe; Paulò tamen melius, quàm qui impoſito opere meritorio omnia protinus vitia elui, aut quæ vivi ob ſeram aut nullam pœnitentiam expiare potuerunt, ab aliis ſupplemento operum confici poſſe putant. Apud Pontificios autem omnia ſic fiunt & à Theologis docentur, ipſo imprimis Papa ad certum precum numerum, curſitationis, ſacri itineris, ingeniculationis, oſculorum, indulgentias veniamque peccatorum, nundinante; noſtris quotidie ſacerdotibus ad vulgi errores præpoſteramque vivendi methodum vehementius commotis, moreſque ad normam ſacrorum ſtudioſè reformantibus. Ad demerendum Dei gratiam, bona opera, fateor, commendant Pontificii; ſed cum nec illa ſine Spiritus Sancti auxilio præſtari, neque hic ſine prece adeſſe nobis ſoleant, utique ad orationem ſacram potiſſima operum bonorum pars revolvitur, & plurimum in eâ ſitum eſſe apparet. Et verò, ut pietas ipſa per ſe nuda eſt atque ſterilis ſine operibus, ita opera nec fide nec precibus neque amore animata prodeſſe cuiquam poſſunt. Quod ſi jam de chari-

charitate in proximum, quæ ſumma eſt bonorum operum, reor equidem, plura ejus in reformata Secta, quàm Pontificia, extare documenta. Sanè apud nullos magis proviſum de ærario pauperum, nullibi ſenum ac vetularum, nullibi orphanorum major, quàm apud noſtros, cura, laudante etiam œconomiam illam affectumque in miſeros Magno Hetruriæ Duce, cum ante hos viginti annos in Belgium Germaniamque delapſus illa charitatis & miſericordiæ exempla attentius luſtraſſet. Quid autem Romæ in ipſo Palladio & Sanctitatis Chriſtianæ arce? Cernes ibi, fateor, Dominum Papam & Apoſtolorum concilium magnâ fortunarum mole phaleriſque ſuperbum; at miraberis ſimul, ſi pietatis aliquis ſupereſt ſenſus, tot mendicorum mutilorumque, cleri aures de nihilo fatigantium, greges, adeo charitatem, alteram Chriſtianiſmi notam, nullibi magis quàm Romæ quæri. Sed quid in bonis operibus gloriari juvat, ſi proximum ex formulâ viventem, eò, quòd non omnibus promiſcuè dogmatibus iiſque humanis ſubſcribere velit, exquiſitis tormentis & vel ipſa morte afficere in deliciis ponant? Factum tamen id olim à Tyrannis, & Patrum memoriâ ab ipſis Hiſpanis, nuper etiam & olim ſæpe à Gallis; utque appareat, quàm etiam Romæ & in ipſo Divi Petri Domicilio, horreſco referens, crudelitatis exemplis capiantur, vidi ibi, ubi magnificum Vaticanæ ædis membrum aditum facit ad ſacrarium toto orbe Auguſtiſſimum, Capellam Sixtinam, inſtratos tapeti-

petibus parietes, non aliud quam cædem & sanguinem spirare, depicta horridissimis coloribus laniena Parisiensi, & ubi supreni Comitis stabuli jugulum petitur, inscripto elogio; CASPAR COLIGNI OCCIDITUR. Hæc Christo auctore fieri posse quis credat, cujus omnis vita ad mansuetudinem & amorem, ad voluntaria quæque & spontanea, nullibi ad violentiam aut tyrannidem, spectavit? Jam nec Petri nec Pauli eam fuisse mentem, tum ex Actis, tum ex illâ ad Corinthios Epistolâ manifestum est, quæ si diligenter legerent Pontificii & piè ponderarent, utique tolerabilius se res nostræ haberent, neque tam fædo crudelique ausu se pollucrent, qui hominum animos circa sacra reformandos sumsere. Obtestor ergo iterum Pontificios, si quæ illis salutis & Christianismi cura, ut seriò & sine partium studio considerent, utrum salvo amore proximi agitari ejusmodi consilia possint, an vi & cruciatibus, ipsa denique mortis imagine objectâ, mutari de religione sensus, &, ut est hæc Spiritus Sancti gratia, cogi ille ad imperium hominum possit. Expendant potius in illo otio, adhibitâ in consilium sacrorum lectione, annon potius sit, & in universum regulis Christianismi affinius, optare, quin & amicis monitionibus operam dare, ut omnes & singuli ad pium illum & verum de Deo sensum & morum emendationem, qua pietas probetur, convertantur, & si fortè ab extricandis spinosis quibusdam nodis vel abhorteant animi aut impares sint, silentio & reverentiæ mysteriorum relin-

relinquantur, Igitur tentare animas & ſalubribus regere præceptis, etiam illos, qui in honorem Dei manifeſtè injurii ſunt, civitate orbare, & ne latius proſerpat contagio, curioſè proſpicere, illorum intereſſe videtur, quibus id datum eſt muneris. Hic autem video, qui fere omnium Sectarum eſt error, non ad mores adeo vitæque integritatem, quàm oris confeſſionem, animum adverti; quaſi non amplius in imitatione vera & practica Servatoris noſtri, ſed ſolâ opinione de Deo & fidei Theoria, eâque multitudine, antiquitate, pompa ſeculari, ſpecioſis ſanè argumentis, probata, ſalus verteretur Chriſtiani; non enim tam vitiis probroſiſque moribus exſtirpandis, quàm tuendæ fidei, Theoria remedium adhiberi. Mihi autem ſemper periculoſius, viſum, agnito Deo ejuſque Sacris, ex formulâ non vivere, quàm non agnito eo omnia ex naturali legum, ideâ præſcriptoque facere: adeo ubique providendum eſt, ne peſſimo vitæ genere bonam fidei Theoriam oriſque confeſſionem inanem reddamus. Quid prodeſt externam conſtituere & pompoſam religionis ſpeciem, & morum vitæque impurè actæ habere rationem; ſi non ſenſuum duntaxat, ſed & morum ſibi arbitrium vindicabit Deus O. M? Adeoque miror, qui ad novam confitendi formulam Chriſtianos non malè moratos compulerunt, quod non etiam ad mores vitamque neceſſarias Chriſtianorum partes, reformandum ſeſe adjecerint. Quod ſi ſalutis æternæ cura eſt, ſi honor

quæritur unius Dei, corrigant regiis Edictis exulceratos animos, coerceant nimias ingeniorum & periculosas subtilitates, illam quidvis pro libidine disputandi impunitatem; illos Arnoldi & Malebranchii infrunitas & ad inania non tantùm, sed & damnata Romæ, sententiarum divortia, progressos ausus. Imponant Lamio, si tanta est sobriæ Theologiæ cura, παλινῳδίας necessitatem, qui publicè ore & libris Epicuri dogmata revocavit, & orbium habitatorum multitudinem, quod olim in ipsâ illa Gallia morte luit Jordanus Brunus, vehementer & cum plausu adfirmavit; quamvis jam ante hos quadraginta annos eandem sententiam Doctissimus Jesuitarum, P. Nicolaus Causinus, sine ulla noxæ suspicione, imo, quod stupendum est, cum approbatione Cleri ordinisque Jesuitici professus sit. Extinguant memoriam Criticæ subtilitatis, quam ad sacrorum interpretationem adhibuit, & Parisiis, id est, in universi ocello, protulit magno Orthodoxorum scandalo P. Richardus Simon. Compescant illam peccandi impunè licentiam, illas fornicationes, adulteria, Sodomias, non privata amplius sed publica vitia & quotidiano usu neglecta; tollant è grege *illo*, si Christi est, notas vulgò noxas, de occultis enim non judicat Ecclesia, homicidia, injustitiam, Simoniam, stellionatum, peculatum, sordes, profanationes, gentilitiam levitatem, & illa, quæ inepta quadam æmulatione in Germaniam, qua patet, ultimumque septentrionem, sunt delata.

Hisce

Hiſce monſtris everrendis operam, hiſce laborem impendant, & tandem propulſatione vitiorum oſtendant purum eſſe & integrum, quem de Deo habent, ſenſum, neque tam hominum autoritatem & ψήφισμα politicum, quàm Dei O. M. honorem in converſionis negotio quæri. Itaque non video, quis ille ſenſus ſit Epiſcopi Titiopolitani, jactantis à Luthero non tam morum, quàm Doctrinæ factam eſſe reformationem. At ego ſi ullius, morum certe emendationem à Viro illo ſuſceptam eſſe oſtendere multis certiſque argumentis poſſum. Sanè, ſi ſub illo demum poſt tot annorum corruptelas renata Decalogo, præceptis moralibus & Orationi dominicæ vera interpretatio; ſi illorum temporum ſimonia & nundinationes cæteris quoque repurgandis vitiis primam dedere occaſionem, utique moribus quoque à Beato Viro factam eſſe medicinam luce meridianâ clarius eſt. Quid quòd morum diſciplina, ſi tanti eſt aurem præbere ſermonibus noſtris, multò apud nos ſit cultior, & magis in ſuggeſtibus exercitata, quàm ab omni retro ævo apud Pontificios. Quod ſi non perinde omnes votis noſtris monitionibuſque reſpondeant, vitium eſt ſeculi nimium quantum ad temporalia & caduca prolapſi: illum tamen, ſi comparatio inſtituatur, laborum noſtrorum fructum eſſe exiſtimo, quod vitæ genere longè plures apud nos ex formulâ vivant, quàm apud Pontificios; cujus rei cauſa eſt, quod ſacris ſermonibus non tam moralem eruditionem, quàm metaphyſicam quandam

aut

aut rhetoricam, ſæpe etiam ad nugas & fabulas demiſſam, aliquando & plane hiſtrioniam, impendant. Quæ tamen ita intelligi nolim, ut non aliquos habeant in illa Clericorum copiâ eloquentiâ ſacrâ imbutos, ſed magis obtrectatione aliquâ & noſtro exemplo, quàm ſuopte impetu ad hoc impulſos. Patres certè Oratorii ordinis, vel ad Jeſuitarum invidiam, novam nec inelegantem methodum nuper admodum ingreſſi, magnum & decus & momentum eloquentiæ ſacræ attulere. Peregrinando verò, antè hos 20. annos perpaucos reperi vera illa & ſolida eloquentia imbutos, pauciores verò in Italia, illa olim facundiæ nutricula, quo nunc enormis quædam & ventoſa loquacitas commigraſſe videtur. Sanè in Sanctorum vitâ exaggeranda, imitandiſque moribus phalerata ſe oſtentant facundia, & audivi Romæ cum ſtupore Jeſuitarum Generalem P. Olivam, Theatrali quodam frivolarum rerum dolorumque voluntariorum recenſu, inſperſa rariſſimâ Dei & Servatoris memoria, B. Roſam de Lima Cœlo, vocem ſuam populo attonito commendaſſe; quod equidem mirandum eſſe puto, in illa hominum tam ſolido & pingui otio fruentium copia, & adeo hoc indicio innoteſcere, noſtros Clericos magis participare commercium Spiritus Sancti, quam Pontificiorum illos; ut qui in tam laborioſo vitæ genere, tot œconomiæ muneriſque occupationibus, in illo etiam exili numero, plus operæ & lucis ſacris explicandis adtulerint, quam illæ Mona-
cho-

nachorum Phalanges. In Galliis ſanè uſque notavi in ſermonibus ſacris majorem eſſe Reformatorum gratiam, & in docendo vim, quàm eſt Pontificiorum, commendantibus ſe hic ſupra alios, Drelincurtiis, Moris, Claudiiſque. Anglicorum autem concionatorum quanta non eſt tum in ſcribendo tum loquendo potentia? ſingularis ſanè & divini adflatus plena. Jam Germania noſtra, olim horridior, omnium gentium ſuadam imitata doctiſſimos quoque oſtentat & eloquentiſſimos ſacrorum interpretes. Accedit, majorem etiam apud noſtros, quamvis alias occupatiſſimos, eruditionis apparatum ſcribendique copiam reperiri, quàm apud deſidem in cellulis turbam; quod equidem fieri nòn poterat, niſi rerum divinarum ſtudio & comparandæ Sancti Spiritus gratiæ diligentius ſe noſtri impenderent, quàm illi. Fuerint aliqui in Pontificia Secta copioſæ & lectionis & apparatus, & in hiſce præcipui Baronius in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Bellarminus in capitibus religionis iſtius excutiendis, Cornelius à Lapide in exegeſi, Surius in Conciliorum ordine ac ratione deducendis; prodeant nunc etiam acta Sanctorum, Jeſuitarum Antverpienſium induſtriâ elaborata; tamen, qui copiæ illi judicium miſcuerint ſolidum atque veritatis amore incenſum, paucos admodum reperias; quot non enim modis argumentiſque convicti ludibrium noſtris debent; nam ne ſuis quoque dedecori ſint, pulchro & tempeſtivo ſophiſmate cau-

cautum eſt; nempe ſeriò & ſub anathemate prohibetur librorum, qui errantes reducere poſſent, lectio; & verò illi, quibus legendi copia eſt facta, ſatis ſe egiſſe putant, ſi cavillationibus quævis reformatorum ſcripta pro concione infament, & velut inepta atque profana traducant. Jam ne ultra Alpes quoque aut Pyrenæum proſerpat morum doctrinæqne emendatio, indicibus expurgatoriis cautum eſt; nimirum metuebant, ne inſtitutâ mutuâ comparatione nimis citò appareret, ſummâ urgente neceſſitate & poſcentibus hoc vitiis ſuſceptam fuiſſe à B. Luthero morum fideique reformationem; ego autem juratus dicere audeam, quod, ſi admiſſa forent in Italiam Hiſpaniamque reformatorum monimenta, multò & emendatiorem & regulis fæderis noſtri convenientiorem haberemus Pontificiorum Sectam. Oſtendunt autem quàm manifeſtè meticuloſam quandam diffidentiam, quod, cum nos, quæ eſt παῤῥησία ſpiritus interpretis, & illorum & aliorum ſcripta Bibliothecis noſtris inferamus, illi contrà, velut κάθαρμα, noſtrarum partium libros vel arceant, aut in damnatum quendam nigrumque locum ſeponant. Non declinanda ſunt, me judice, ubi Dei negotium agitur, vel propriæ opinionis defenſio aut alienæ examen, etiam vulgo, ut cui de ſumma fidei perinde ac maximo conſtare debeat. Quòd ſi in arcanioribus inquirendis deficiat idiotæ ſpiritus, ſupplendum id eſt vitæ humilitate pietatiſque exem-

exemplis; neque ſtatim, ſi in abſtruſis indifferentibuſque non ſequatur noſtram mentem, odium perſonæ involvendum eſt, prohibente id charitate, illo Chriſtianiſmi vinculo. Et verò, niſi jam tum & ad Sectam condendam fovendumque diſcipulatum inutiles notiones juſtò vehementius exaggeraſſent Doctores Cathedrarii, alia nunc eſſet Theologiæ facies, & ad mores vitamque formandam magis quàm oſtentationem ingenii comparata. Ut tamen nunc res ſunt, & Philoſophiæ Scholaſticæ cacoethes apud Pontificios invaluit, à noſtræ quoque Sectæ defenſoribus ingrediendum erat illud iter, ne vanâ terminorum notionumque ſubtilitate ſoli triumphare viderentur; excutienda erant Monachorum ingenio fruentium, Scoti, Thomæ & Lombardi ſcrinia, ut conſtaret, quàm ineptè ſeſe non profuturis ad æternitatem quæſtionibus impendiſſent, repertis paſſim telis, quæ pro luſu ingenii in ipſos illos converti poterant. At nihil eſt, vel eloquentiæ fuco aut philoſophiæ ſublimitate Theologiæ ſacra tentare, ſi charitas deficit, & noſtri ipſorum amorem alieno iſti præponimus. Ipſe Paulus nullam eſſe putat, vel vaniſſimam ſcientiam, quæ charitate non animetur: Adeo, ſi eloquentiſſimæ voci ſubtiliſſimoque ingenii luſui amoris deſit condimentum, religioni vim omnem formulamque negari. Ex hoc autem vitio, ut alia omnia, ita illud in fratres proximumque odium, & tyrannicus ille in conſcientias dominatus origi-

nem

nem ſumunt; hinc etiam in fratres, collegas, &
contribules eadem ſeſe exerit crudelitas, non
facilè quoquam pauperum, miſerorum & alio-
rum caſibus ſubveniente; & ut ſui quoque amo-
re tangi videantur, carnis quiſque potius da-
mnatiſſimorumque affectuum libidinis, quam vel
Dei honorem aut animæ ſalutem curare, e-
tiam qui optimi videri volunt, ſolent. Adeo,
ut bonam habeant Chriſtiani Sectam, & æter-
næ beatitudini ſervientem, mirificè tamen cau-
ſam ſuam peſſimo vivendi genere produnt, &
Theoriam Praxi infamant: Quâ quidem parte
Paganos quoſque & ipſos Muhammedanos me-
liores eſſe Chriſtianis manifeſtum eſt, ut qui
religionis ſuæ & capitum ſacrorum ſervantiſſi-
mi ſint, neque vivendi genere juratam fidei
confeſſioniſque formulam facilè profanent; quæ
enim non apud illos in precando contentio,
quæ non latarum legum obſervantia? equidem
Turcæ, ut animæ præeant puritati, ante preces cor-
pus primum balneo, inde & manus frigidâ pur-
gant; inde abductis ab externorum commer-
cio ſenſibus ad cœlum ſe, cui animæ debent
originem, & ad terram, à quâ corpus repetunt,
non inepta orationis formula convertunt ſolo
objecto decepti, cætera autem vitæ ratione te-
ſtantes, quam in bellis etiam, ubi mera ἀταξία
apud nos regnat, ſacrarum regularum tenean-
tur reverentia. Quare ſcenica videtur plurimis
Chriſtianorum confeſſio, & in obtentum cauſæ
ra-

pta, & quæ hoc ipso, nisi tempestivo remedio occurratur, vel in pristinum chaos reverti, aut in pereundi discrimen adduci velle videtur. Imo, cum piis sacerdotibus melioris vitæ formulam urgentibus, importunius obsistant Hypocritæ, & fratribus suis novum Adamum Christique imitationem suadentibus convitia dicant, aut, si blandius agere videntur, fanaticorum imponant nomen, factum est, ut nonnulli impiorum sibilis traducti Ecclesiæ aut conventui publico renunciaverint, & in alios cœtus, non tam numero, quam morum similitudine constantes, abiverint. Atque hinc fortè, novæ illæ Weigelii, Böhmii, Davidis Georgii, l'Abadiæ, & Bourignoniæ feminæ & Quietistarum Sectæ, vulgarem Christianismum, velut Babylonicum, & adulterinum, exosæ, vitæ magis ingenio morumque idea, quàm contentioso disputandi genere religionem exprimere voluere. Verum, ut cacodæmonis calliditas omnia inquinavit, ita hæ quoque Sectæ vel hypocrisi, aut novis, quos otium suppeditabat, ingenii lusibus, tum obscuris tum periculosis, quam verbis speciosoque apparatu Christianismo inferre videbantur puritatem, in deterius mutarunt. Sunt, fateor, in illis aliqua, quæ commercii secretioris redoleant speciem, non omnino damnanda. Sunt in Böhmio abstrusi & prodigiosi ingenii, unde, unde illuminati, haustus; multæ tamen etiam & inanes battologiæ novâ identidem phrasi adumbratæ, & anfractuosis horri-

 disque

disque sensibus inclusæ periodi, quarum intelligentiam vel ad oppido paucos spectare, aut supervacuam esse necesse est. Cum autem ab Apostolicâ illâ, id verò est, divinitus adflatâ facundia, quam & ipsam jactat Bœhmius, longissimè recedat illa, vel aliam esse Spiritus Sancti mentem oportet, aut alio nunc homines ingenio, quàm olim. Antoniæ Bourignoniæ feminæ pridem nutanti magna nunc iterum accessit per Poiretum auctoritas, ut qui magnâ contentione & ipsam θεόπνευστον, & veram fuisse vatem uberrimis œconomiæ divinæ *libris* ostendisse se putat, oportunè ob hoc ipsum *multatus*. Quod si autem ille est verus & Sp. S. & sacrorum sensus, quem Antonia explicatum ivit, & in uno illo salus vertitur Reip. Christianæ, ecce ad numerabilem, ut pote parvum gregem redactam Ecclesiam, quod ego quidem bonitati Numinis divini adversari puto. Adeò non statim, ubi vulgi mores offendunt in orthodoxa ecclesia, nuncius ei est mittendus; quin potius laborandum, ut alios constanti exemplo in illâ plurimorum impietate provocemus, aut, ubi exemplo non moventur, velut refractarios fugiamus. Neque hinc argumentum peti video, quod Pontificiis faveat, nempe nec Lutherum hoc exemplo publicæ se Ecclesiæ subducere debuisse, quod erroribus eam vitiisque contaminatam deprehenderet; longè enim alia illorum temporum facies, & ipsa illa sic nominata Ecclesia, non morum duntaxat sed & doctrinæ ingenio, post tot corruptelarum dogmatumque huma-

no-

norum, acceſſiones, obtritâ dudum auctoritate ſacrarum revelationum, priſtinæ illi & veræ formæ diſſimilis Eliam poſcebat, qui, purgata impiâ ſuperſtitione & deterſo fermento Papiſtico, Eccleſiæ vel ſepultæ aut poſtliminio redeunti, decus ſuum, S. Scripturæ auctoritatem, moribus nitorem inſtauraret; poſtquam multos ante annos viri probi, quamvis & ipſi ordinis Pontificii, & Melchior Camis & Nicolaus de Clemangis & alii plures, ad quos numero paucos rediiſſe Eccleſia videbatur, corruptis illorum temporum moribus (nam ne de doctrinâ publicè id auderent, prohibebant Romanæ ſedis fulmina) fruſtra ingemuiſſent. Auſus ergo hoc eſt B. Lutherus, & omnino, quæ divina fuit bonitas, effecit, ut magna orbis Chriſtiani pars errorum capitalium conſcia, cum ab obſtinatis & ſpecioſæ illius formæ externæ cultoribus, jam & copioſorum redituum vindicibus, repellerentur, in alios conventus fidei morumque reformatione notos veteriſque Eccleſiæ æmulos ſecederent: ubi tamen, ut nunc res ſunt, perennaturos eſſe hodiernorum temporum adoptivos, vix eſt cur credam, cum fidei veritas apud nos quoque triſti morum exemplo, vitâque in ſpeciem magis quam fidei complementum probatâ, elevetur, Numiniſque divini ira conculcatione beneficiorum olim agnitorum manifeſtè contrahatur. Manebunt quidem & perennabunt boni, ſed & impiorum cauſâ id eventurum credo, ut ſoli & ſecreti ſibique vivere juſſi occultare magis quam pro-

 dere

dere animi sui sensus necesse habeant, vulgata rursum in populos sçenica illa & carnali religione; quæ violentis magistratuum imperiis, quæ voluntariæ at sensuali propensioni potissimum robur debeat suum. Neque enim celare possum ad vulgi gustum, cujus ipsius maxima pars mundum facit, Pontificiorum Sectam magis comparatam esse, quam ullam aliam; illa enim speciosa antiquitas, illa regiminis despotica formula, illa multitudo longè latèque diffusa, illa pompa secularis, illa processionum, ut vocant, fercula, illa oculorum auriumque blandimenta, ceremoniæ, illa imaginum ludibria, & tandem illa multitudo hominum varia sequentium, ad captandum vulgi simpliciorumque animos, pulchrè sunt conficta. Adeo, nisi Dei nos gratia aut pia humilisque ratio custodiat, facilis est ad sensualia illa prolapsus, &, ut idiotæ quique, rustici, feminæ, pueri in illa se Secta contumacius tuentur, ita alii quoque ad eam facilius transeunt, utpote phaleratam & oculis servientem; imprimis, si accedat auctoritas Principalis. Sed nulla etiam est mora, quin & Docti viri, jam antè juvenilibus præjudiciis imbuti & longa annorum possessione tuti, ubi nostra videndi vel legendi, caventibus id seriò Regum Paparumque edictis, copia non est, defensioni Sectæ suæ studeant, ne deesse partibus videantur. Ut verò religionis explorare negotium non tam doctorum est, quam prudenti consilio Deique gratia instructorum, ita mirum

rum non est, illorum quoque plurimos in dijudicandis religionum arcanis falli, & magis sui ipsorum commodi, quàm non fucatæ veritatis habere rationem. Equidem Doctorum alii judicio, alii humilitate pia, alii vero & necessario apparatu, quod palmarium est, destituuntur; quorum in re tantâ arbitrium agnoscere ineptum sit & planè supervacuum. Nunc inter Pontificios, quot non habitu tantùm incessuque Theologum fatentur, inter tot myriades vix uno alteroque deprehenso, qui multis nostrarum partium Theologis comparari ex æquo possint. Neque jam major orthodoxæ religioni per Principes Principumque ministros parata defensio, cum plerique illorum aut natalium vel fortunæ conditione ad sensualia corporisque delicias abrepti rerum divinarum curam jam tum abjecerint, & nihil aliud excogitatissimo luxu & pecuniarum ambitu, quod hodie idolum cultum plusquàm latricum in se convertit, ostendant, quàm omnino præsentium, non futurorum, sensualium, non invisibilium, corporis, non animi, cura tangantur. Adeoque, ut puræ veræque religioni minus est in hisce præsidii, ita Pontificiæ Sectæ ob sensualium studium, quibus illa plenissima est, magna fieri solet per hoc hominum genus accessio. Aulicos autem, si bonos exceperis, non incommodè distinguas in Hypocritas & Atheos. Hypocritas vocaveris, qui cum in religione indifferentes sint naturalismo, sit verbo venia, propiores, Princi-

 pis

pis tamen causa gestibus minisque fatentur, quam sæpe animo aversantur, religionem, nempe, ne deesse regnantis ingenio & temporum fatis imitatione quadam videantur. Sanè ego aulicos vidi Pontificios, qui, licet inane esse sciant & ineptum illud ceremoniarum choragium, tamen, ne in commoda sua peccare videantur, publicè Sectam illam quàm negotiosè defendunt. Jam verò & illi, qui atheismum animo fovent, quorum, proh dolor! opinione plures passim reperias, ut tamen sit, quo Principum populique oculos in speciem blandiantur, cujuscunque Sectæ, maximè tamen Pontificiæ, si id interest, causam sibi vindicant; quamvis nunc etiam sint, qui posito omni pudore eum profiteri, ut hodie in aulis alibi militumque contuberniis fieri solet, nihil pensi habeant; adeo illos clancularios, hos Atheos professos vocare meritò liceat. Audivimus plus semel tum alibi, tum maximè in Galliâ, illâ nunc morum fideique, si Dîs placet, vindice, nihil esse religionem, rem sine succo & sanguine, & in hoc unicè effictam, ut populi contineantur in officio. Quod ipsum quidem, uti æternæ felicitatis orbitate dignum, ita regnantibus periculosissimum, cum ne sic quidem securos illos esse sinat patentissima in omnia scelera via. Hi etiam vitæ proposito nullum se habere de Deo sensum ostendunt, adeo etiam indignos esse, qui beneficium recipiant ab eo, cujus nec amore nec sensu afficiuntur. Jam cæteros, quemadmodum in omni Secta, ita hic quoque distin-

stin-

stinguas in simulatores & superstitiose pios, quorum istos *Tartuffes*, hos Gallicâ voce *Bigots* appellant, callidos illos & sceleratos, habentes μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένους, hos simpliciores, sensuum blandimentis bonorumque operum specioso numero circumventos. Cum autem in Pontificia Secta plurimam religionis partem in externis reponant, adeo facile fuit gestuum minarumque prætextu animum occultare proximoque imponere, quale hominum genus cum alia quævis regio, tum Gallia olim pepererit hodienumque alat, non mirandum publica Molieri comici censura sarcasmoque notatos esse, quos *Tartuffes* vocant. De superstitiosè piis id comperi, mediocri illos plerumque aut nullo valere ingenio, adeoque ut arcana religionum non intelligunt, ita externis contenti simplicique fide sanctissimè vivunt, & Sectæ, cui se vel proprio impetu aut parentum destinatione devoverunt, quanto maximo zelo suffragantur, non etiam spretis pro gloria Sectæ gravissimis periculis. Atque hi ipsi sunt, qui non aliter constare sacris suis auctoritatem putant, quàm si oppressis cæteris soli triumphent, vi, dolo & quibusvis pro occasione artibus in rem suam utentes; zeli namque veri id proprium esse, ut Dei honori etiam cum aliqua iniquitatis specie litet. Ab hoc ergo & illo hominum genere uti plurima mala, ita & horrenda persecutionum in Galliis vicinisque gentibus profluxere. Hi autores fuere, ut profuturum alias

converſionis violentæ negotium ſeriò curaretur, ut contumaces ad edicta regia animi minis, tormentis, expilatione rei familiaris, plagio infantum, damnatione ad triremes, deportatione in inſulas, aliiſque meditatis ſtudio pœnis compellerentur. Hic eſt ille Clerus, qui pietate commotus conſilium ſuum non Papæ, Epiſcopo œcumenico, ſed Regi, exponere conſtituit, atque ita eluſa Romanæ ſedis auctoritate Epiſcopale jus Regio ſemel aſſeruit, ne jam in dubiis Romam eundi cauſa eſſet, reperto domi, quod poteſtate; meliore etiam jure, gauderet. Hi ſunt infulati illi proceres, qui, ne amplius lateret, quam eſſent ab amore proximi alieni, ſubſcriptis nominibus ſuis querelas ad Regem deferre non erubuerunt, poſtquam per Andabatas quoſdam & emiſſarios Scriptores ſpiſſâ & in ſpecioſum hiſtoriæ ordinem redacta mendaciorum farragine invidiam Sectæ reformatæ apud ſuos conflaſſent. Erat autem hic Mainburgius ex clerico poſtea in laicum, quo augurio neſcio, mutatus; & poſt illum Varillaſius delicatiore ſtilo ordineque meliore falſorum ſpeciem obducens. Atque illum quidem tum aliorum, tum maxime Herculeis Juriæi armis confeſſum vidimus, planè verò etiam ſuis viviſque coloribus expreſſum libro, cui titulus, *Le Jeſuite ſecularisé*. Recentior Varillaſius & ipſe quoque judicium non effugiet, cujus jam tum guſtum dedit in hiſtoriæ Anglicanæ recenſu D. Burnetus, plurimorum hominem errorum arguens & planè convincens. Ut

adeò

adeò venalem animam & scenæ servientem circumferre videantur id genus scriptorum, non tam conscientiæ ingenuitate, quàm cleri dominantis Regiique nominis assentatione tutum. Quod si autem indicem eorum qui hoc moliti sunt negotium, recenseo, observo eos vel ἐν καληγορίας αἰσωλίας & vitæ turpiter actæ elogio, vel in simplicitate & erronea conscientia, aut in amaro quodam zelo miserè deprehendi, adeò non esse illos, quibus tam ingens & laudabile negotium committi possit; imprimis, cum dirissimis consiliis facilè prodant, non Christi de genere mansuetos, sed lanistarum more, crudeles esse sanguinisque alieni & bonorum appetentes. Utrum ergo, quando suis meritis cælum ingredi non posse videntur, illâ aliorum conversione meriti speciem involvi existimant? Quod ut aliquos sentire credo superstitiosæ fidei, ita esse scio, qui temporum ingenio & politicis rebus accommodatam esse hanc scenam, planè sint persuasi. An verò nunc Gallia, adjuro hic piè sentientium animos, peracto sic per vim conversionis negotio felicior quam pridem, an Deo, an futuræ beatitudini ulla meriti ratione affinior, & sic pacatior Cleri conscientia? Equidem id non opinor; nam cum plerique omnes temporalium caducarumque rerum ministerio pænarumque tædiis succumbant, probabile est gemere etiamnum illos sub hypocrisi, & Ecclesiam Gallicanam magna hypocritarum parte, ut transeam manifestè impios, auctiorem esse quam

pridem, adeoque ut specie similis videatur, secundum spiritum tamen discoloriam esse adscititiam Christi tunicam. Profecto melius conscientiæ & publico bono consuluisset clerus, si commissâ cuique fidei & religionis non absurdæ apologia, ad vitam & mores gentis suæ, cujus patrocinio nunc reliquæ etiam nationes commodatis inde vitiis tutiores se putant, emendandos diligentiam omnem & curam contulissent; si recepta omnibus Christianis religionis capita, si Decalogum, si Sacramentorum naturam, si precum & orationis Dominicæ, formulam, si amorem erga proximum, si mansuetudinem, si alia edocuissent & continendis in officio populis & parandæ cujusque saluti utilia magis atque necessaria. Sic enim futurum erat, ut si quid in Theoria alerent erroris, amore proximi vitæque piæ exemplo penitus obduceretur, & Deus, cujus misericordiæ nos nostraque committimus, illorum quoque commiseratione tangeretur. Nihil sanè juvat splendida se fide tueri, si errorum copia inundamur, si manifesta improbitas, si hypocrisis, si alia vitam infament. Jam verò, qui cum animis habent negotium & aliis monstrant viam, explorent se ipsi & sollicitè dispiciant, num illorum, quæ in aliis tumultuariè damnant, criminum sint immunes, num vita regulis fideique confessæ respondeat; & tum, si quid moliuntur in emendandis aliorum erroribus, pacate id faciant, & pio zelo, animumque non vi aut dolo aut carnalibus armis, sed spiritualibus, sed ratione pia,
&

& probatæ revelationis auctoritate, adoriantur. Furor est credere, seculari brachio animos hominum formari, & ad verum de religione sensum componi; coguntur, non formantur, pelluntur, non sequuntur faciles. Voluntariam amat liturgiam Deus, & rationalem, omnem aliam, quæ vel illecebris aut minis provocatur, aversatus: docet hæc revelatio sacra, Spiritus sancti Apostolorumque œconomia; quam si positis semel præjudiciis attentius secum expenderent isti Cleri antesignani, non tantum repurgatæ Ecclesiæ formam meliorem esse, sed & Pontificiam illam novi fœderis adeoque Christianismi regulis in totum adversari, luculente deprehenderent. Legant, quæso, relegantque, quibus æterna salus cordi est, revelationum libros, & ex locorum parrallelismo commonstrent regiminis Papalis formulam; conferant invicem Christi Apostolorumque conditiouem cum Episcopi Romani Cardinaliumque ingenio, imprimis, postquam nupera electione singulare ornamentum ordini isti accessit; videant, annon ab imitatione Christi longius sint remoti, quàm plebejæ auimæ. Sanè, si eligendi modum, si conclavis, consistoriique Romani artes, à multis jam seculis usitatas, si sordes & nundinationes, si despoticam imperii formulam, non tantùm in Ecclesias ultimi orbis, sed & civiles dominatus, propagatam considero, jam nihil toto orbe inquinatius. Neque hic est, quod personarum vitiis causam obducas, cum haud dubiè, si illa res Spiritus sancti ar-
cano

cano commercio constaret, & tanta necessitas esset unius capitis in regenda Ecclesia, hujus ipsius prærogativæ, & gloriæ consuluisset rerum Arbiter. At pudendum est capita vocari Ecclesiæ, qui ne quidem membra in illo vitæ malè actæ exemplo dici merentur à multâ retro memoriâ. Habeat moderationis laudem, qui hodie sedet Papa, & patrimonio Petri innocentius utatur, multa tamen parte minorem gerere se vult, quàm qui ante eum fuere; sedet enim ibi, velut in fraudem sacræ revelationis, & disseminata latè potentia ostendit, ὅτι ἐστὶ Θεός, καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα. Et ut fortè ad Romanum illum Dominum non respexerit Spititus sanctus & tum Patrum primævorum, tum Grotii conjectura vera sit, hunc ex sacris locum & Neroni & Cajo Caligulæ imputantium; attamen, cum moribus istis notisque ex æquo similes se præbuerint multi, qui in cathedra Petri sedere, utique, ut in speciem similitudinis de iisdem eadem nonnulli statuerent, vitæ ingenio effecerunt. Apocalypsis liber & ipse sanctus est, planè etiam μυστηριώδης & paucissimis intellectus, & tamen, quæ ibidem occurrunt Antichristi vel Bestiæ signa, si ulli Christianorum Sectæ, Pontificiæ magis quàm ulli alii, magna veri specie applicari posse videntur. Fateor, urgent hic nimium quantum, aliam nunc esse adultæ Ecclesiæ conditionem, quam fuit nascentis, & triumphare jam, quæ olim sub horridis persecutionum spinis afflicta languebat, adeo lætantis Ec-

cle-

clesiæ sponsum, Dominum Papam, nempe ne nihil non, quod Christi erat, sibi vindicaret, & ipsum in partem gaudii pertractum magnifica illa specie ingenium sponsæ testari: Quo argumento olim quoque usum esse redarguendis Sectariis Th. Campanellam, si alias dubitatoris Philosophi ea fuit animi sententia, mirari debeo. At verò, si sacræ revelationi fides habenda, vivimus adhucdum militiæ spiritualis Candidati, luctamurque cum tribus salutis nostræ hostibus, iisque internecinis, *Carne*, *Mundo*, & *Diabolo*; quibus in hac terrarum valle, velut decretorio campo, devictis, triumphum ni tempus usque venturi cum gloriâ Sponsi, unici Domini nostri, rejicimus, ob præsentium temporum conditionem tristes quidem fortunæque Christi adversæ & Passionis ejus consortes, ob futura tamen spei & πληροφορίας pleni. Ex fœderum œconomiâ apparere puto, non gaudia neque tripudia, non dominatum, sed mœrorem, θλίψιν ἐ στενοχωρίαν, Ecclesiam, illam Christi vel sociam vel æmulam, comitari, & quidquid est læti, futuræ vitæ proprium esse; adeo argumentum, quo tantopere exsultant Pontificii, piâ ratione in contrarium verti posse. Sanè, qui Christianæ œconomiæ formulam ex sacrorum præscripto & spiritualiter judicat, nulla vel speciosa ratione illam Ecclesiæ capitisque majestatem & splendorem plus quàm secularem probare potest, abhorrentibus statim ad oculorum inania piis animis. Quod si tamen id unum aliquibus obstet,

esse

esse debere, qui se velut controversiarum judicem atque arbitrum interponat, idque, ad parandam sibi auctoritatem novo & pomposo habitu, neque enim alias vel Sectarum aut litium finem fore, nulla jam est mora, quin sacram ad Hebræos Epistolam & quidquid est Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ curiosius expendenti, non aliam de veritate illâ & judice controversiarum statuendi viam esse, appareat, quàm sensum cujusque sensui, non humano arbitrio, sed piâ vel lectione vel auditu sanctâque meditatione & Spiritus Sancti sigillo formatum: unde enim alias Apostolorum frequens pietas, non cogentium importunè, sed molli consilio ad veritatem rei gestæ, ad rationem submissam & conscientiæ testimonium provocantium. Nulla certè esse potest hominum in illa communi omnium sorte auctoritas, nisi quam exercitatio aut prærogativa aliqua Sp. S. conciliavit: Et verò, si idem ille Spiritus tam necessariam putasset illam regiminis vel capitis eminentissimi formam, utique in re tantâ, in qua salus vertitur generis humani, claris hoc atque expressis verbis designasset; quod cum factum esse non constet, imo contraria quæque ex sacrorum œconomia deduci possint, credant semel Pontificii, non posse temere homines pios revelationumque divinarum tenaces ad aliam, quàm veterem, olim collapsam, nunc, volente sic Deo, reformatam libertatisque Christianæ vindicem Sectam, sese adjicere, ne tamen & nos ordine aliquo destitui intelli-

gant

gant Pontificii, illam de rebus ſacris decidendi auctoritatem, ceu rem adiaphoram & populi ingenio relinquendam, & ipſi plurium doctiſſimorumque, ſed & piorum, virorum numero, præſide etiam vel Epiſcopo aut Seniore, committimus; ut quantum Chriſti ſanctiſſimi Servatoris, velut Capitis noſtri, & Apoſtolorum θεοπνεύστων regulis decreta illorum convenire intelligimus, in tantum ſequendos eos eſſe putemus; adeo ſingulorum eſſe, ἐρευνᾶν τὰς γραφάς & harmoniam decretorum qualitatemque ad obruſſam earum experiri, ſe poſito omni ſuæ alienæque auctoritatis amore. Et ut ſciant, quæ in hac parte noſtra ſit fiducia, jam feminis, jam adoleſcentibus, & ipſis pueris, conferendi invicem ſacra pro captu cujuſque ſuo, libertatem concedimus, eo etiam fructu, ut gaudium inceſſere debeat audientes, quàm etiam cum prima ætate fidei orthodoxæ ſacrorumque auctoritas, compendio & in Catechiſmo expreſſa, animis inſtilletur; ubi apud Pontificios nec pueri nec feminæ, aut, quidquid eſt vulgi, ad ſacra admittantur, admiſſi verò à ſolo docentium nutu pendere traditioneſque humanas, velut oracula, accipere neceſſe habeant, à verâ examinandi formula repulſi: Jam autem futile eſt & ſupervacuum credere, quod urgent, ſic ſemel admiſſa longiuſque extenſa libertate januam cujuſvis generis hominibus quidvis ſentiendi aperiri, atque hinc eſſe, quòd reformata illa Secta in tot iterum alias abiverit vitæ doctrinæque genere diverſas.

versas. Id verò ut sit, non tamen absterrere quenquam debet, quò nimius libertate Christiana, pio humilique arbitrio circumscripta, in rem suam utatur; videri enim, quò propius à veritate absumus, hoc magis laborare ἀντίδικον illum, ut profuturum animis nostris opus corrumpendo hominum ideas & philautiæ semina spargendo perturbet & accedente cœlis aliquo ex reformatione illa lucro, is ipse etiam suo regno, quod arcano Dei consilio factum esse videtur, prospiciat. De Sectariis autem jam tum vaticinatus est Sp.S.& ostendit oportere esse hæreses, ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ ὦσι; atque inde protinus cum Evangelii luce & doctrina Apostolica, & Antichristi &, Hæreticorum nomina audita, quorum aliqui etiam numero & auctoritate majores Christianismi res aliquandiu, temperarunt, quod ab Arrianis factum novimus, ut taceam Orientali Ecclesiæ malè semper convenisse cum Occidentali. Adeo, quod per accidens & singulari Dei indulgentia ex illa libertate fluit, non imputandum illi est, ut causæ. An verò satius est, obtestor qui sic sentiunt, omnes singulosque in uno eodemque errore versatos in salutis discrimen adduci, quam paucos aliquos ad meliorem de sacris sensum impulsos servari, aliquos etiam libertate illa abusos in eodem manere periculo, quo ante fuerant deprehensi. Obliti sanè videntur & œconomiæ fæderum & sui, qui sic sentiunt. Redeat usque ille in orbem labor de judice controversiarum, in hoc tamen desinant omnia necesse est, de hoc ipso judice

dice non alieno, ſed ſuo judicio, proximè decernendum eſſe; principium enim manifeſtè petitur, ſi, ubi de auctoritate humana ſermo eſt, per auctoritatem definiam humanam. Quis autem ille tandem erit de eâdem auctoritate ſenſus aut quærendi finis, niſi per auctoritatem ſcriptam, id vero eſt, Apoſtolicam, piè & humiliter explicatam, imbecillitati noſtræ, in cujus ſupplementum Revelatio prodiit, ſubveniamus? Quòd ſi in comparandâ ſalute æternâ, Chriſti nobis mediationem unicè profuturam credimus, quid moramur verbo ejus vitæque in exemplum propoſitæ ſenſus noſtros moreſque accommodare? Utrum in culpam verti poteſt, ſi univerſum ſalutis beneficium, ſi ſacro-ſancta nomina, *Capitis*, *Petræ*, *Lapidis angularis*, ipſa revelatione expreſſa, tanta nos tenet divini verbi reverentia, in unum illum conferamus? quod uti nemo opinari poteſt, ita culpæ affine eſt, illa Chriſto in Sacris adſcripta nomina, titulos iſtos humanis majores, in homines ὁμοιοπαθεῖς, idque ex auctoritate humana invidioſe transferre. Caput ſemper & uſque Eccleſiæ ſuæ, gregis ſanè quàm puſilli, erit Chriſtus; qui Romæ ſedet, Papa, ſi Deo Capitique Chriſto ſuum tribuit, membrum erit, pro animi pietate, nobilius aut ignobilius. Ultra Presbyteri titulum non aſſurgere Petrum jam ante notavimus, τοῦ ἀρχιποιμένος nomine in ſanctiſſimum Servatorem collato; quod ſi eodem exemplo & nos facimus, quæ illa tanta eſt culpa, ut damnationis & τοῦ ἀναθέματος

rei extra ſinum imaginariæ iſtius Eccleſiæ projiciamur. Sane, quidquid id ſit, extra periculi aleam poſiti videmur, ſi hominibus nihil admodum ſupra meritum, Chriſto Servatori tantum non omnia, tribuimus. Nulla temere credendi cauſa eſt hominum decretis aut Eccleſiæ traditionibus, niſi quantum convenire ea & fidei analogiæ & revelationum ſacris ſua cuique mens dictat; ut adeo parum profeciſſe intelligam Huetum novâ illa demonſtratione Evangelicâ, dum Vincentii Lirinenſis illam & vulgò calcatam ſemitam ingreſſus religionem patriam firmare magis quàm examinare conſtituit. At cum nec Hueto nec alii cuiquam hoc liceat ob Eccleſiæ Capitiſque imaginarii & Sancti Officii, ita inquiſitionis vocatur collegium, auctoritatem, mirari non debemus, rariſſimos eſſe in illo numero, qui religionis ſuæ ſuſcipiant examen, & qui ſuſcipiunt, præjudiciis cæcâque obedientiâ ductos non tam ad ſui defenſionem, quam intempeſtivas aliorum criminationes, accingi. Eſt illa Sancti Officii, tum alibi tum maxime in Italiâ poteſtas, ut ad minimas Pontificis Eccleſiæve traditiones ſuſpenſum animique dubium, velut reum majeſtatis, arguat, & ni alieno ſe arbitrio obnoxium ſtatim præſtet, ultimo ſupplicio, carcere & tenebris, quam quis in ſacris humilique ratione quærebat lucem, expurget. Et ut manifeſti criminis exemplum è plurimis prodam, memorabile eſt, quod centum ferè ante Lutherum annis Laurentio Vallæ, illi literarum inſtauratori, contigit. Audiverat

is

is pro concione licentissime de omnibus, tum maxime de Symbolo Apostolico, decernentem Monachum. Contendebat namque illa, ut erat seculum ineptissimum, Apostolici Symboli nomen inde profectum esse, quòd omnes & singuli Apostoli eâ formula & tenore, quin & linguâ, quâ hodie τὸ *Credo* legitur, illud concinnassent, singulis Symboli pericopis ad singulos nominatim Apostolos relatis. Id cum audiret Valla, ad Amicum virum eumque doctum conversus, quæ, inquit, illa Monachi intemperies jactantis Symbolum Apostolicum inde appellari, quod suum quisque & sensum & vocem illi commodassent, cum ego luculentissimis testimoniis probare possim, non ab Apostolis illud Symbolum, sed Patribus Concilii Nicæni, illâ forma & lingua Græca, ex Apostolorum scriptis collectum dispositumque profluxisse. Quæ viri docti crisis cum tandem ad Monachi & universi Cleri aures dimanaret, tanta in eum coorta est tempestas, ut nisi in examine, ubi de universo religionis & philosophiæ negotio, etiam *num quid de decem prædicamentis crederet*, rationem reddere debuit, ambiguo sophismate & responso, *credo quod credit Ecclesia mater*, capiti suo cavisset, utique perierat Valla, exinde tamen semper ob reformatos ex historia sacra Evangelii sensus in suspicionem Atheismi adductus. Neque iam, ut hoc tangam, in Italia solum, sed in Germania quoque regnasse hunc stuporem monumento didici, quod etiamnum Noribergæ in Fano Sancti Ægidii superest, ubi

jam antè hos trecentos annos in choro depictos videre licet duodecim Apostolos, singulis illorum capitibus & tabulis adscripta Symboli Niceni pericope latinâ, argumento manifesto, fuisse eam tum, si Dis placet, Ecclesiæ mentem. Ut adeo constet, diffusos passim esse illos errores & sui tuendi vehementem audaciam; cui si quis se opponat, meliora ex sacris edoctus, ecce victimam dignam, quæ rapiatur ad tribunal inquisitionis, & corpore luat animo quæsitam pacem. Mira ergo illa sit oportet & damnata obstinatio, quæ nullis precibus piave ratione ad examen sui & religionis adduci se patiatur. Quod si qui adhuc essent, quibus illud sui examen placeret, erat sanè spes redeundi ad cætum electorum & emancipandi se dictatoriâ hominum potestate; & cum nos non ante temere pronunciemus de veritate Sectæ, quàm de utrarumque partium rationibus constet, vellemus utique & illos non suorum duntaxat, sed & nostrorum scriptis, incumbere, & institutâ ad normam sacræ Revelationis comparatione, pro pietate animi decernere, quid intersit cultum inter rationalem & sensualem. Et, ut Concilium Tridentinum, ejusque interpres Bellarminus, omnem ubique paginam faciant, de Concilio quidem antè dispiciant, qui illud & quibus auctoribus inchoatum sit: ubi statim offendet pium quemque, fuisse illud unarum partium, adeo nemini alii invidiam facere posse, deinde ipsos illos Patres in rem suam possessionemque stabiliendam

coactos

coactos in moribus vix quidquam immutasse, adeo non meliora fata mansisse Ecclesiam, quam pridem; &, ne quis charitati Christianæ vel piæ humilitati aut Dei honori ibi litatum putet, ecce in omnes paulò aliter, etiam in indifferentibus, sentientes, ferale illud anathema, quod ei demum in sacris imputatur, qui aliud nunciaverit Evangelium, alium Servatorem, quam Christum Jesum, & illum ipsum non amaverit. Non videntur sanè intellexisse Tridentini Patres ἔμφασιν τοῦ anathema, diris devoti capitis, quando ad leviculos dissensus, & promiscuè in omnes, illud detonant. Si quis autem scire vult, quàm parum amori sit datum in hoc negotio, legat, quæ de apparatu & instituto illius Concilii, Paulus Servita Venetus, & ipse Pontificiarum partium, magnæque apud Gallos dignationis, accurate consignavit. Stupebunt omnes boni, quibus artibus insidiisque ad confirmandum auctoritatem jam præscriptione regnantem usi sint optimi sacerdotes. Verùm, ne uni fidere habeant, conferant etiam illum Scipionem Henrici, & Cardinalis Pallavicini Historiam Concilii Tridentini. Quamvis in universum de Cardinalibus hoc monere debeam, suspectos esse ad unum omnes, quod Romanæ sedis auctoritatem, cujus maxima pars sunt, futuri etiam aliquando Papatus Candidati, quanto maximo studio tueri, jurejurando sint obstricti; adeo, quæ vel Baronius vel Bellarminus aut Pallavicinus pro Ecclesiæ illius eminentia vehementer dixere, à

 tristi

tristi sui fortunarumque amore profecta esse meritò existimes. Quid quod de ipso hoc Concilio Tridentino Censores Galli comparatis invicem trium Concilii scriptorum historiis, decernente jam ante pro Paulo Soave Aquilinio pseudonymo in examine illorum historicorum, timidè admodum & contra conscientiæ fidem judicaverint, *periculum esse, ne quis Fratris Pauli historiam, utpote egregiè conscriptam, præferat Palavicini Historiæ, quæ forsan verior, non verisimilior.* Jam si materiam istius Concilii & Theologicæ doctrinæ capita singula perlustremus, quàm non super levibus, jam & manifestè falsis sacrorumque revelationi contrariis, crudelissimè pronunciatum? Quod si habent tantam sui fiduciam, utantur semel libertate illâ & legant de istis, postquàm sacrorum lectione se muniverint, tum Bellarminum, tum Martinum Chemnicium in examine Concilii Tridentini, utrosque autem ad communem omnium obrussam, S. Scripturam, piâ humilitate explorent; nec dubitem, quin meliores esse repurgatæ Ecclesiæ partes, quàm veteris corruptæ illius, appariturum sit. Et verò plurimum favet nobis, quòd ex tanta illa monachorum turba necdum repertus sit, qui se ipsi illi Chemnitio opponere, & κατὰ πόδα contendere de veritate sustinuerit. Nulli autem majore conatu ad Sectæ Pontificiæ capita defendenda sese accinxere, quàm Apostatæ, sive animi quadam simplicitate, seu specie illa sensuali fallacibusque Sectæ notis,

seu

ſeu fortunarum honorumque acceſſione circumventi: omnes tamen ad unum tum Chemnitianis, tum Hunnianis telis, tum ſingulari Scherzeri ingenio, confoſſi jacent. Neuhuſius deſertorum Anteſignanus, ne temere ad Pontificias partes relapſus videretur, reperta *arte nova*, novam etiam Calixto, Viro à charitate Chriſtiana & doctrina commendatiſſimo, refutandi neceſſitatem impoſuit, eo ſanè ſucceſſu, ut detectis captiuncularum ſpinis omnis ex illo nova jactandi conatus perierit. Walenburgii fratres, qui & ipſi quidquid habebant virium, ad tuendum ἀποστασίαν illam attulerunt, tum ab aliis plurimis, tum maximè Coccejo, & pacis Chriſtianæ & doctæ parallelæque interpretationis promocondo, ad pudorem uſque repreſſi ſilent. Principum quidem & Comitum ſeculariumque Virorum apoſtaſias & inde natas defenſiones, utpote ſuppeditatas à Pontificiis Doctoribus, ego non multum moror; magis me movent virorum eruditorum & ingenio pollentium exempla, quos tamen & ipſos in dijudicandis religionum arcanis animo falli poſſe, ut ſenſuum illos fucos prætercam, manifeſtum eſt; adeo id ipſum Holſteniis Lambeciiſque aliiſque plurimis contigiſſe puto. Nihil tamen omnium magis me commovit vel offendit, quàm Nicolai Stenonii, pridem, ut audio, mortui, apoſtaſia, cujus etiam cauſâ hoc quidquid eſt negotii, olim ſuſcepi. Erat enim, niſi me omnia fallunt, vir naturâ probus, pacatus, cujus ego judicio & pru-
 dentiæ

dentiæ in rebus Medicis atque Mathematicis plurimum tribuere solebam. Adeo miraculo proximum duxi, ad Sectam tam corruptam nullisque admodum fundamentis innixam transiisse hominem Mathematicum & demonstrationes sectari solitum. Transiit tamen arrepta inde occasione, quod femina quædam rarissimi amoris exemplo ignoto se ei offerret, vel sanguinis sui jactura ἀποστασίαν ejus redimere parata. Quo ille nuncio territus non de nihilo esse improvisi affectus argumentum existimat, & cum in suæ religionis, fuerat autem hactenus Lutheranæ addictus, principiis inveniendis rebus aliis occupatior minus profecisset, erudiendum se illius terræ monachis tradit. Ibi ergo, ut suppeditantur Pontificiorum libri & Patrum monumenta ab illorum ingenio profecta, miratur jam tum quoque ceremonias regnasse, miratur ordinem & defensam per tot temporum successiones Petri sedem, stupet auctoritatem hominis Romæ in folio collocati & à tot gentibus in rerum sacrarum arbitrium vocati; jam etiam externam illam templorum cultusque speciem, illam precantium devotionem statis horis inque numerum redeuntem, illam corporum voluntariam servitutem sacerdotum regulis obnoxiam, disciplinam Ecclesiasticam, quàm alibi, severiorem; Hisce ille speciosis oculumque fascinantibus rebus, fortè etiam promissis in futurum honoribus, adductus, cum videret, quæ in Medicis atque Anatomicis occurrunt, maximam partem incerta

esse,

esse, & quæ certa videntur, in superficie hærere scientiæque veræ longè minimam facere partem, averso planè à demonstrationibus animo totum se credulitati dedit, & speciosâ illa Sectæ Pontificiæ auctoritate, quæ videbatur esse animi humilitas, cum religione pariter etiam professionis genus mutavit, non Medici amplius, sed Theologi, sed Sacerdotis, sed Episcopi titularis & Vicarii Apostolici partes secutus. Exspectavi autem ab hoc viro, ut à nemine alio, herculeam planè & consummatissimam apologiam, & mathematicis, ut solebat alias, demonstrarionibus plenam; sed ecce laborantem omnibus numeris caussæ defensionem & multis partibus imbecilliorem, quam esse illa aliorum solet, quæque adeo in Hollandia, Jenæ & Hauniæ ad examen revocata famam non sustinuit; commiseratione ergo dignum judicavi, qui sensuum quodam lapsu abreptus meliora deterioribus mutarit. Enituit tamen usque Viri in vivendo sanctitas, & disputationibus, quas ultro citroque habuit, Epistolisque, quarum una alteraque me quoque dignatus est, unicè charitatem, patientiam, moresque Christi imitatione exprimendos, proposuit, ostenditque non obscurè, quamvis serò, vitæ parcè & sobriè actæ exemplo, erogatisque in pauperes bonis, quem in Theoreticis conceperat errorem, expiare voluisse. Potuisset tamen idem ille Stenonius eadem probitate apud nos esse, & propagato rerum naturalium medicarumque studio, ut ad quæ natura

tura factus videbatur, & honori Dei O. M. & utilitati proximi servire. Quando autem tum hujus, tum aliorum relabentium argumenta attentius considero, video vel maximè eos ostendere, quod Secta nostra Catholica reformata in tot iterum sive Sectas seu partes divisa sit, quæ non minori invicem odio & simultate, quàm contra Pontificiam illam, insurgant, adeo, cum unus sit spiritus, una veritas, non videri à cœlesti principio profectum illud reformationis negotium; quod alterum erat Stenonii nostri argumentum. At respondent hæc pulchre vaticinanti Deo fœderisque œconomiæ, quin & experientiæ docenti, ineunte jam tum & invalescente Christianismo in multò minore Christianorum numero copiosiores fuisse Sectas, quàm nunc sunt. Quæ enim non statim post Apostolos in Ecclesia audita Sectariorum nomina, Corinthi, Marcionis, Nicolai, Carpocratis, Ebionis, Alexandri, Valentini, aliorumque, qui si non ad Christianismum, certè ad Christi Servatoris gloriam elevandam suaque ipsorum merita statuenda, omnes vires contulere, sui & Philosophiæ amore in varios periculososque errores prolapsi? Sint aliqua hodieque in Sectarum illo numero errorum semina, at non omnes æque sunt capitales, & à plerisque moderatione usis charitatis scuto tegi benigniusque explicari poterant, ut ne calumniandi occasio malevolis quibusque nasceretur. Adeo ex reformatione orta esse ista scandala quis non doleat? sed

cum

cum vitio hominum diaboli aſtu impulſorum, & charitatem, commune illud hominum vinculum, divellentium, id contingat, non imminui ob hoc ipſum puſilli, ſed orthodoxi, gregis, beneficia exiſtimem. Poterant nonnulli certis indulgere neque pro illo ingenii captu nocituris diſtinctionibus, ſed privatæ eſſe debebant, neque in Sectam erumpere. Quotuſquiſque enim eſt, etiam ex Theologis, qui capiendis illis hyperaſpiſtarum ſubtilitatibus idoneum nactus ſit ingenium, ut taceam ad vulgi ſenſum & conſequendam ſalutem nihil illorum ſpectare? Adeo ſatis eſt moderari illum ingenii ludentis impetum, & ſibi ſervare, certè non obtrudere pro neceſſariis, quæ delicatulis offenſam parere poſſint. Jam quod urgent Pontificii, periiſſe cum reformatione ordinem & vocationem ſacerdotum, in ſpeciem aliquid eſt; verum attendenti reformatæ Eccleſiæ inſtitutum, apparet eſſe ordinem, non quidem priori ſimilem, ſed ipſum illum, quem Apoſtolorum temporibus & paulò poſt obtinuiſſe novimus. Devoluta autem jam ſumma ad Principes ſeculares Epiſcopatus auctoritate, etiam illos in partem vocationis trahere libuit, non ante validâ presbyterorum electione, quam ipſi Principes ſuo ſuffragio ultimam manum impoſuerint. Hic autem, ſi qui abuſus irrepſere hodieque irrepunt, nolim id in Sectæ calumniam rapi, quando ſemper & uſque tum in omni, tum in Pontificia Secta iidem illi errores invaluerint, & orthodoxorum

capi-

capitum doctrinæque puritatem vitiorum personalium infamiâ commaculet ὁ ἀυλίδιχος. Non inficiamur quidem, vulgatas nunc etiam apud nos esse nundinationes, quæ olim atrocitate sua reformandi occasionem præbuere; sed habent boni omnes & habebunt usque, quod quotidie detestentur & casibus nostris ingemiscant, jam etiam, ut est seculum, Dei ad talia conniventis æquitatem mirentur. Nempe, cum ipsi illi Domini à vitæ probitate longè sint alieniores quàm olim, & aularum candidatis, nisi per morum dominicorum imitationem, gratia non constet, non debuere amplius de Sacerdotum vitâ atque doctrinâ sollicitі esse, qui, ne & ipsi objurgatione digni essent, metuendi causas habebant. Et cum, semel regnante illâ immodestiâ, non alia ad Sacerdotium via pateat, quàm per favoris, argenti nuptiarumque lenocinia, id saltem commodo suo experientur imperantes, beneficiarios illos communi blanditiarum æstu abreptos, vera loqui vel non audere, cum possunt, vel non posse, cum audent, adeo conculcatâ Sacerdotii auctoritate vitiis passim omnibus januam aperiri. Hinc etiam minor de Scholis atque Academiis, ubi formari ingenia oportebat, cura insedit, grassantibus per omnia vitiorum genera & Theologis, & morum virtutumque officinam Cyclopicâ vivendi ratione infamantibus. Mittuntur, fateor, in Academias, tùm omnibus scientiarum, tum Theologiæ, sacris devoti Studiosi, & sic mit-

tun-

tuntur, ut operæ atque impensarum aliquod pretium, eruditionem virtuti junctam, referant; at cum in Scholis ob veternosam magistratuum segnitiem negligentissime habeantur, eruditionem, quàm in Academiis quærere oportuit, vel non attingunt, aut perfunctoriè gustatam ad munus quisque suum adferunt. In moribus autem virtutumque Christianarum exercitio multò etiam minores reperias profectus, cum nihil aliud ibi discatur, quàm Theoretica quædam morum virtutumque distinctio, historiarum quarumdam recensu phalerata; à Praxi autem Theologica, quantum illa cuique ad salutem necessaria est, longè se abalienant, adeo ut nullibi quàm in Academiis, si castra excipias, major sit vivendi libertas; non enim iræ ibi, familiari & domestico vitio, non libidinibus, non asotiæ aut vanitatis studio modus ponitur, aut Praxis Christianæ, serò usui futuræ, jaciuntur fundamenta, sed velut è pædagogio manu missi libertatem quisque affectat, nullis amplius modestiæ, nullis Christianismi regulis obnoxiam, nihil ad hæc mutata magistratuum intempestiva indulgentia. Quin etiam credunt Juvenes, &, ne color desit, sibi persuadent, uti prima ætas pædagogorum, ultima muneris severitati debetur, ita mediam hanc juvenili licentiæ relictam, quidvis pro ingenio audendi copiam facere. Quo magis mirum videatur, cum cæteræ artes omnes ætatis quodam curriculo, & in juventute, addiscantur, solam se

Chri-

Christianum præstandi rationem, difficillimum sanè longæque experientiæ opus, velut repentinum beneficium seræ ætati munerisque conditioni reservari, & mores non ante indui, si optimè res cedat, quàm toga & virum & sacerdotem ostenderit. Quod si ergo ab hoc hominum genere vivendi regulas & morum exempla accipere oportet, non video, quem nobis pietatis fructum promittere in illâ præeuntium intemperie possimus. Jam verò de eruditione concionali, ubi promiscuè multitudini mos gerendus, id etiam notandum, subtiliorem eam sæpe esse, quàm necesse est ad procurandum animæ tranquillitatem, eoque supervacuam: neque enim in suggestu tempus illud, quod sacris orationibus, quod hymnis, quodque commendatione facundâ operum bonorum extrahi debebat, scholasticis & non profuturis disputationibus dandum est, nisi adversariorum vulgo inhiantium insidiæ necessitatem hanc imponant. De summâ autem fidei & credendorum, jam antè & ex catechesi certum esse unumquemque oportet. Ne tamen laudata operum praxi meritis aliquid suis tribuat vulgus, copiosè semper & magnificè deducenda Christi Servatoris satisfactio, vitâ ipsius quotidie in exemplum morum propositâ. Excutienda hic est, &, quantum fieri potest, æquanda vulgi captui religiosa pietas, & ostendendum, aliud esse animæ, aliud corporis imperium, & ad cælum viam affectantem, in Christi amorem effusissimum, à sui & seculi amore alienis-

alienissimum esse debere: in quo eruditionis piæ genere cum facem prætulerint & Arndius & Mullerus & Angli Gallorumque nonnulli, illorum diligens sedulaque lectio in usum transferenda videtur. Et hac quidem methodo ad omnes Sectas manante spes erat, tot tantarumque litium finem aliquando fore, adeo & communi omnium symbolo, amore, colligi sic satis in unum divulsa Ecclesiæ membra posse. Sit ad defendendum dogmata zelo aliquo opus, at pium illum esse oportet, & ad amorem compositum. De revelationum arcanis sentiat hic paulò aliter quàm ille, modò ne error sit in Deum injurius & ad factionem spectans, indulgendum id esse putem, magis etiam, si in indifferentibus & non necessariis versetur; hic verò ad exilia quædam sententiarum divortia intempestivè alii in alios, & ejusdem Sectæ fratres, ne dicam, Christianos, insurgunt conviciorumque plaustris tantum non onerant. Ex impetuosiore sanè zelo Zwinglii illa & Gomari doctrina profluxit, Sectamque Lutheri mediâ incedentem viâ, rationi aliquid, aliquid auctoritati Sacrorum & fidei œconomiæ tribuentem, & Calvini istam, non parum debilitavit, scissis ita in varias partes, quæ una esse potuerant, Ecclesiæ membris. Gomaro contigit cum Arminio disputanti, ut, cum illi super gratiâ universali & Dei decreto durior excidisset in Cathedrâ terminus, jamque captus videretur, quem forte inconsultò præcipitaverat errorem, cum seriò scriptis defendendum susciperet

ret, atque inde illo interprete severior Calvinismus propagaretur, ad alia quæque & ferè Sociniani castra transeuntibus, qui Arminium sequebantur. Nempe, quod Seneca alibi, *coargui non volunt, & in malè captis, dico & festinatis, honestior illis pertinacia videtur quàm pænitentia.* Atque hæc illa sunt prævisa in sacris scandala, nunc etiam passim continuata. Certè ex terminorum scholasticorum usu abusuque accidit, ut non omnibus in eâdem Secta Theologis, adeo nec Collegis, conveniat. Notum, quâ auctoritate atque animadversione Wittebergenses Theologi præeunte Calovio in cæteros usi sint, si fortè aliis verbis terminisque sensum sacrorum, rem liberam atque indifferentem, explicassent. Et ut Calixtus in nonnullis à Wittebergensibus dissenserit, pietate tamen suâ & pacis studio, jam & solida eruditione, triumphasse cæteros omnes videtur. Syncretismi nomen invidiosum quidem est, sed tamen amoris & pietatis in proximum plenum. Tolerant illi in adiaphoris aliter sentientes, & sic tolerant, ut nihil per hoc Dei gloriæ detrahatur. Modestior, fateor, jam tum erat Philippus Melanthon, sed ideo ad curandum religionis negotium Luthero minor, quem sæpe, ut ferebant tempora & refractariorum mores, vehementiore quodam zelo armari oportuit. Adeo non putem, illos de indifferentibus sensus cuiquam damno esse posse, & temere Philippismum in convitium argumentumque disputationis rapi; quibus si & illa jungas ad invidiam

in-

inventa nomina, Dreyerianiſmum, Speneriani-ſmum, ea non Sectæ, ſed auctorum pacis & tranquillitatis Chriſtianæ eſſe putemus. Scholaſticis innutritus logis Voetius Calviniſmum triſtiorem & elogiis & quanto maximo ſtudio proſecutus eſt, aliam viam magiſque pacificam ingreſſo τῷ πάνυ Coccejo, cui tamen, ut erat modeſtiſſimus, & Voetius & Mareſius & turbulentiſſimi quique Theologi, magno Sectæ illius ſcandalo, vehementiſſimè inſultarunt; & quia nunc politicis quoque factionibus annectere illud ſententiarum divortium placuit, factum eſt, ut pro regiminis ſtatuſque in Belgio mutatione modò hi, modò illi, ſuperiores ſint, alterique alteros deturbent. Sanè, uti in ceremoniis externoque cultu pro populi genio exorta varietas, Sectam non elevat mutuumque amoris vinculum, ita nec à certis particularibuſque circa religionum vel arcana aut indifferentia ſenſibus divortii naſci occaſio debuit. Ita, quod 𝔤 interim capita & ceremonias Norici ſequantur; quòd Argentorati & Francofurti ceremoniæ ferè omnes ipſaque altaris forma ſublata; hic verò & alibi mediam teneant viam, receptis aliquibus, aliquibus reſectis ceremoniis, nihil prohibet, quò minus æquo animo nos invicem feramus, & in commune Lutheranorum, ſi id ab auctore reformationis repetere fas eſt, aut Eccleſiæ Chriſtianorum repurgatæ nomen amicè coëamus. Non officit etiam Sectæ Calvinianæ, quòd in Synodo Dordracenâ aliter, aliter in Glaſguenſi Scoticâ, quàm in Anglicanâ aut Carentoniana

niana Gallicâ, de ceremoniis sit decretum. Adeo non video, cur diversa de indifferentibus opinio cuiquam fraudi esse possit, & quam in Pontificiis damnamus imperiosam auctoritatem, in nos invicem convertamus. Miserescì oportet Fratris non malo consilio ad peregrinam & fortè erroneam sententiam prolapsi, & si corrigere eum non licet, post monitionem unam alteramque Dei animos disponentis bonitati, interveniente prece, relinquendus est. Jam, si sui securus ambitione pelliciatur, ut in alios transferre studeat erroris periculosi contagium, magistratuum erit indicio Sacerdotum compescère illam licentiam, & pro modo animadvertere. Mira autem res, & indigna nomine Christiano, quòd qui pro illo ingenio & eruditionis apparatu singulares fovent, tum de arcanis revelationum, tum de indifferentibus, sensus, protinus, velut Shismatici aut Hæretici, exsibilentur, qui vitam ducunt per omnia flagitia infamem, modò se Sectæ alicui addixerint, tolerari velut Ecclesiæ membra; cum tamen, me judice, ab Ecclesiâ longius absint, qui flagitiose vivunt, quam qui in cæterâ animi pietate ad subtiliores quosdam revelationum sensus, non perinde omnibus vel probatos aut intellectos, deducti sunt, imo, ab ipso Paulo, non de religionis arcanis aut ceremoniis aliter judicantes, sed mœchi & fornicatores, & incestuosi, Satanæ traduntur, idque εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός, longè meliore consilio, quàm hodie nostri, qui Deo litatum putant, si in indifferen-

ferentibus hallucinantem ab Ecclesiâ rejecerint, retentis flagitiosis quibusque & impuris hominibus; si phrasi aliqua nova, nec perinde omnibus intellectâ, utentem inter Heterodoxos proscripserint & ἀναπεθεματισμένους, eodem quoque errore nunc ad reformatam Ecclesiam & intempestivos ejus zelôtas translato. Memorabile sanè, & omnibus Christianorum animis inscribendum præceptum, quod juveni apud Matthæum de salute æternâ sollicito non aliud consequendæ ejus sive medium seu instrumentum proposuerit sanctissimus Servator, quam in illo virtutum studio legum à Deo latarum observantiam; nempe, τήρησον, inquit, τὰς ἐντολάς. Et verò, si quidquam cœlo sanctorumque consortio nos reddere dignos potest, est hoc amoris, est vitæ probè actæ studium, unicum, & agnito Christo essentiale Christianorum symbolum; in quod si omnes Sectæ, positâ omni philautiâ partiumque studio, semel consentirent, conceptum illud ex opinionum diversitate odium amore practico deleri poterat. Quare in hoc iis incumbendum puto, qui religionis negotium tractandum suscepere, ut nihil in fraudem Optimi Servatoris, nihil in opprobrium aut scandalum proximi committatur. Debebant ipsi illi Principes, si ad se spectare Episcopatum & Ecclesiæ imperium, id verò est, causam Dei, existimant, vitam moresque ita componere exemplo Servatoris Christi, Capitis omnium nostri, ut monstrarent, quàm egregia & frugi res sit humanique

generis & Societatum conciliatrix illa in Deum pietas. Ab illis deinde in aulas, ab aulis, veluti morum speculis, quamvis, ut nunc sunt, vitiorum promis-condis, in alias universumque gregem manare debebat una illa & pia vitæ morumque formula. Certè enim nihil prodest fidei aliquam confessionem suis obtrudere, si à moribus majus sit periculum. Sociari invicem debent & fidei & morum experimenta, quando nulla sine morum operumque exemplo futura sit fides salvifica. Quod si autem sacerdotum hæ sunt partes, & illis commissa est Dei causa, explorent se ipsi primum, & videant, num apparatu illo & prudentia, tum etiam vitæ exemplo, quæ rarissimè in uno juncta reperias, instructi sint. Quod si id constat, & justa illos vocatio muneri admovit, ostendant solido & docto argumentorum genere, quanta sit hominum in illâ Christianismi luce sui securitas, & in tantâ bonorum operum sterilitate superba fidei confessio. Hic ergo, ut verum de Deo sensum, ut cultum rationalem, ut morum operumque studium reducant, & animam cujusque suam θυσίαν ζῶσαν Deo sistant, aliam viam insistere oportet, quàm quâ vulgò itur. Depurandæ sunt obscuratæ pridem de Deo, & Bono ideæ; reddenda est animis lux, ut quid distent vitia virtutibus, ex æquo omnes agnoscant. At cum in illa scelerum vitiorumque impunitate & sacerdotii contagio, monentium verba in ludum & jocum transierint, id agere optimi

mi quique debent, ut collapsa disciplina Ecclesiastica Magistratuum auctoritate instauretur, & quod bonis verbis fieri non potest, ut sunt serva quædam ingenia, animadversione corrigatur. Cum autem publica censura non æque omnes tangantur, & in illa vitæ illustrioris conditione injuriam sibi fieri putent nonnulli, si cum vitiis ipsi suis in sacro suggestu traducantur, exquisitissimo colorum apparatu vitiorum naturam & illum carnis suique amorem, seposita personarum invidia, exponere oportet, imo etiam, quod plus juvat, & ad personas extendi potest, privatam cuique operam & monitionem piè & humiliter impertiri. Quid quod, ut erat hoc in veteri Ecclesia usitatum, & fratres, vitæ imprimis conditione & fortunis similes, aliqua tamen pietatis & morum prærogativa noti; subornari possint, qui ab incepto retrahant fratrem errantem, amicè corrigant, & vitiorum ostendant fundamentum. Jam verò cum in augendis aliarum scientiarum, Medicinæ & Physicæ, progressibus hodie simus ocupatissimi mutuisque operis nos juvemus, in Theologiæ etiam arcanis & quæstionibus explicandis quàm diligentes inveniamur, in sola praxi Theologica & Christiana, in qua tamen salus vertitur generis humani, negligentissime omnia fieri quis non miretur? Colloquia hodie, Galli *conferences* vocant, super omnibus rebus institui videas, coëuntibus propter morum similitudinem quibusdam collegis. Super morum virtutumque & vi-

tæ Christianæ praxi qui deliberent, aut rari apparent aut nulli. Maximè autem fas erat & ex re publica, de moribus emendandis vitaque secundum Christianismi regulas regenda collegia instituti, & quæ sacri oratores oportunè in suggestibus monent, ad animum & exemplum majore conatu revocari, data cuique monendi, quin & corrigendi libertate. Nam, cum vitium sit omnium maximum philautia, & vitiorum, quibus ipsi laboramus, affectata ignorantia, nunc etiam sacerdotum vivendi ratio ad tam vastam ingeniorum morumque differentiam deficiat, non aliud melius tum agnoscendi tum extirpandi vitia remedium erit, quàm si abdicata omni adulatione suique studio invicem alter alteri censendi copiam faciamus. Quod si deinde in hisce collegiis quisque pro ingenio & amore Christi vitæ emendandæ rationes proponerent, & quantum Deo, quantum proximo & nobis ipsi debemus, religiosè examinarent, & nota illa nullisque amplius sacerdotum regulis compescenda vitia, simoniam, stellionatum, avaritiam, fornicationes, adulteria, ebrietatem, hypocrisin, asotiam omnisque generis libidines, tum sacerdotes, ut & ipsi aliquando sunt in culpa, & alii quique, sedulo agnoscerent & agnita lenta & quotidiana praxi in melius mutarent, futurum utique erat, ut ejusmodi vitæ ad Dei proximique amorem conversæ exemplo, nisi id votis humanis majus est, illud Sectarum scandalum semel deficeret, & exspectata illa Judæorum re-

con-

conciliatio, illud πλήρωμα τῶν ἐθνῶν, illa promissa animorum tranquillitas, in partem desiderii & complementum fidei Christianæ venirent, & sic tandem divulsa membra sub capite Christo in unum corpus, palantes passim oves in unum gregem, & variegata illa futurisque plena tunica ἄῤῥαφος coalesceret.

F I N I S.

